IOANNIS MEURSI
SOLON.

SIVE,

De ejus Vitâ, Legibus, Dictis, atq; Scriptis,

LIBER SINGVLARIS.

HAFNIÆ,

Apud IOACH. MOLTKENIUM, Bibliopol. ibidem.

Anno cIↃ IↃc XXXII.

VIRO ILLVSTRI,
ET GENEROSO,

CHRISTIANO THOMÆO,

TANNERUPÆ, ET STOGARDÆ,
DOMINO,
REGNI DANIÆ
CANCELLARIO,
ET CALLOI PRÆSIDI
REGIO,

SOLONEM
ISTVM,
LEGVM ATTICARVM
AVCTOREM,
LEGVM DANICARVM
CVSTODI
OBSERVANTIÆ LONGE
MAXIMÆ
MONVMENTVM, QVANQVAM
EXIGVVM,
CONSECRABAM

IOANNES MEVRSIVS,
SORÆ DANORVM,
AD DIEM XXI MARTII,
cIↄ. Iↄc. XXXII.

IOANNIS MEVRSI
SOLON.
SIVE
De ejus Vitâ, Legibus, Dictis atq; Scriptis,
LIBER SINGULARIS.
CAP. I.
Solon Plataeensis, Smyrnaeus, Rhinocururensis; & alius quidam incertus. Iulius, Solon cognomento. Eunostus, Solorum Cypriorum rex; & Iacobi Dalechampii de hoc error.

SOlones plures extiterunt, quos commemorare obiter in principio operis libet. Fuit quidam Platæensis, cujus meminit Plutarchus inter Phocionis amicos, in ejus vita: *Phocion autem, & amici, qui apud eum remanserant, concesserunt ad Polyperchontem: quos Phocionis gratia comitati sunt Solon Plataeensis, & Dinarchus Corinthius, Polyperchontis necessarij, & familiares, habiti.* Memoratur & Smyrnæus, medicus professione, ut videtur, apud Plinium, lib.XX., cap.XX. *Miror quare difficulter in Italia id nasci tradiderit Solon Smyrnaeus.* Citaturq; libris pluribus subsequentibus: Fuit item Solon Rhinocururensis, monachus, & deinde episcopus. Sozomenus Hist. Eccles. lib.VI.cap.XXX. *Rhinocurura vero, illo tempore viris piis non aliunde advocatis, sed indigenis, floruit: quorum optimos sapientiae sese studio hic dedisse intellexi. Novi Melanem, tunc Ecclesiae episcopum; & Dionysium, monasterium ad Septentrionem urbis moderantem:*

A tem:

tem, ac Solonem Melanis fratrem, ac successorem in episcopatu. Meminit ejus iterum postea; ut Nicephorus Callistus, lib. XI. cap. XXXVIII. Nominatur etiam quidam in *Inscriptione* antiqua, Operis Gruteriani pag. MCXXVIII.

> Ἐτέιμησαν Σόλωνα, καὶ Ἀφῶν, τέκνα ἀγαπητὰ, Σωκράτης, καὶ Ἀπφία, Φιλόκαλος, Δόμνος, μνήμης χάριν. *Honorárunt Solonem, & Haphen, liberos dilectos, Socrates, & Apphia, Philocalus, Domnus, memoriæ ergò.*

Et Julius quidam, Solon cognomento, legitur apud Xiphilinum, in Commodo. *Jamq; multi, consumptis omnibus facultatibus, in ordinem Senatorium cooptabantur: ita ut dictum sit de Julio Solone, homine ignobili, eum, facultatibus suis spoliatum, in senatum esse relegatum.* Fitq; ejus iterum mentio apud eundem, in Severo. Putarunt etiam viri docti Eunostum Solonem fuisse, Cypriorum regem, inducti loco Athenæi lib. XIII. Ἄυτη δὲ ἡ Θαῒς καὶ, μετὰ τὸν Ἀλεξάνδρου θάνατον, Πτολεμαίῳ ἐγαμήθη, τῷ πρώτῳ βασιλεύσαντι Αἰγύπτου· καὶ ἐγέννησεν αὐτῷ τέκνον, Λεοντίσκον, καὶ Λάγον· θυγατέρα δὲ, Εἰρήνην, ἣν ἔγημεν Ἔυνοστος, ὁ Σόλων τῶν ἐν Κύπρῳ βασιλεύς. Quæ Jacobus Dalechampius ita vertit: *Hæc ipsa vero Thais, post obitum Alexandri, Ptolemæo, qui primus Ægypti regnum adeptus est, nupsit, ex eoq; liberos concepit, Leontiscum, & Lagum, mares: filiam autem, Irenen; quæ Solonis Eunosti, Cypriorum regis, uxor fuit.* Sed erroris eum ante jam redarguit vir insignis, Isaacus Casaubonus. Certe meminit Eunosti hujus, Solorum Cypriorum regis, Eustathius, ad Iliad. ψ. Ἦσαν δὲ καὶ Κύπριοι Σόλοι, ὧν ἱστορεῖται βασιλεὺς Ἔυνοστος. *Erant verò etiam Cyprij Soli, quorum rex commemoratur Eunostus.*

Sed clarissimus omnium noster; de quo nobis sermo deinceps instituetur.

CAP.

CAP. II.

Genus ejus nobilissimum. Pater verò Execestides; frater Dropides: à quo quartus Critias, unus de triginta: sextus, Plato. Filius ignoti nominis: &, per hanc occasionem, Thaletis cum Solone, de matrimonio contrahendo, liberisq; procreandis, dissertatio memorata: tum Solonis quoq; dictum.

GEnus illi nobilissimum; & quod Codrum autorem haberet. Et hoc è Plutarcho nobis manifestum est, in ejus Vitâ. *Execestide enim omnes ipsum (Solonem) uno ore genitum memorant; viro, uti ferunt, inter cives facultatibus, & potentiâ, mediocri: sed familiâ primariâ oriundo, quæ ad Codrum se referret.* Diogenes Laërtius, eum à Neleo, & Neptuno, ortum dicit, in vita Platonis, lib. III. *Solon autem ad Neleum, & Neptunum, genus suum referebat.* Neleus verò, uti constat, Codri filius erat. Materno genere, Pisistratum contingebat. Plutarchus, loco citato. *Matrem vero Solonis Heraclides Ponticus refert, Pisistrati matris propinquam fuisse.* Certè propinquum Pisistrato Solonem commemorat etiam Diogenes Laertius, in ejus vitâ, lib. I. *Ipse verò non admisit: verum etiam Pisistratum, genere propinquum, ut ait Soscrates, cum idipsum præsentiret, pro virili prohibuit.* Patrem illi ex Philocle quodam retulit Didymus Euphorionem; cùm Scriptores cæteri omnes consensu Execestidem dicant. Plutarchus. *Didymus grammaticus testimonium citat Philoclis cujusdam, quo Solonis patrem ostendit Euphorionem: contra omnium, quotquot ejus meminerunt, opinionem. Nam consensu dicunt cuncti, Execestidæ eum esse.* Sanè Execestidem dicunt, præter Plutarchum, etiam Diogenes Laertius, in ejus vita; Suidas, in Σόλων; Proclus, in Timæum Platonis; Ælianus, Var. Hist. lib. VIII., cap. XVI.; Lucianus in Dia-

Dialogo Menippi, & Æaci; & Stobæus, Eclogâ XXIX. Memoratur etiam Execestides quidam apud Aristophanem, Avibus; semel, atq; iterum: Sed is alius ab isto, ut ex Scholiaste liquet, qui videndus. De matre, nihil aliud constat, quàm Pisistrati propinquam, ut ostendi hanc fuisse: nomen ejus, nemo tradit. Frater ipsi, Dropides fuit. Diogenes Laertius, in vita Platonis, lib. III. *Genus suum ad Solonem referebat. Hujus enim frater erat Dropides.* Libanius. Declam XXVI. *Dropidæ, qui Solonis frater.* Proclus, in Timæum Platonis. *Execestidæ filii fuerunt, Solon, & Dropides.* Et hic ipse etiam post Solonem fratrem archon fuit. Philostratus, in Critia, Sophist. lib. I. *Ad Dropidem genus referebat, qui Atheniensium post Solonem archon fuit.* Atq; ab eo quartus Critias, unus è triginta tyrannis Atheniensium: ita ut illius iste proavus fuerit. Nam ipse Critias, apud Platonem in Timæo, ita de semet testatur: *Cum illo enim magna intercedebat necessitudo, & amicitia, Dropidæ, proavo nostro.* Et particulatim ostendit Libanius Declam. XXVI. *Neq; enim unquam dicere cessabam; Critia Callæschri filius es, qui Critiæ, qui Dropidæ.* Plato verò ab eo sextus, per Perictionem matrem. Diogenes, in ejus vita. *Plato, Aristonis, & Pericliones, sive Potones, filius, Atheniensis: quæ (Perictione) à Solone genus ducebat. Ejus enim frater erat Dropides, hujus Critias, hujus Callæschrus: hujus Critias, unus de triginta tyrannis; item Glaucon; hujus Charmides, & Perictione: è quâ, & Aristone, Plato, sextus à Solone.* Ubi obiter, quòd jam dixi Critiam ab eo quartum observa. Et utrumq; repræsentat Proclus quoq; in Timæum.

Historia de Solonis genere, & Platonis cum ipso cognatione, hunc in modum se se habet. Execestidæ filii erant, Solon, & Dropides; ac Dropidæ quidem rursum Critias, cujus meminit in Poesi sua Solon: dicens:

Dic Critiæ flavicomo, ut patrem audiat:
Neq; enim mente erranti obediet duci.

Critiæ verò, Callæschrus & Glaucon; Callæschri rursum, Critias hic: idq; ipse in Charmide Critias manifestum facit, Glauconem, Charmidæ patrem, avunculum suum appellans. Glauconis verò, Charmides, & Perictione: Perictiones autem, Plato. Atq; hæc de patre, matre, item fratre. Filium item unum habuit, cujus nomen non expressum. Observo ex eo, quod narratur in hunc modum. Cùm Miletum, ad Thaletem, accesisset, atq; huic dixisset ipse, se mirari; cur non nuptiis, liberisq;, operam daret: ac Thaletem, in præsens quidem tacuisse; verùm postea aliquanto peregrinum subornasse, qui Athenis se venire, & jam decimum diem esse, ex quo inde discesisset, memoraret. &, Solone interrogante, ecquid novi inde afferret; illum, ut edoctus erat, Nihil aliud, respondisse: quàm quod adolescens quidam efferretur; cujus funus tota civitas deduceret: siquidem, ut ferebatur, viri clari, & virtute inter cives suos primi, filius esset: patrem verò, jam ab aliquàm longo tempore peregre profectum esse. Ad quæ Solon, cùm eum infelicem diceret, & percunctaretur nomen; isq; audisse fateretur, sed oblitum sese diceret: at hoc unum meminisse, sapientiâ, & justitiâ, majorem in modum celebrari: graviter perculsus animo, nomen ipse suum suggerit, & interrogat, an Solonis filius esset; atq; ipso annuente, vehementer se afflixit. Sed Plutarchum, hæc narrantem, audiamus. *Quum profectus esset Miletum, ad Thalem, Solon ajunt mirum sibi eum dixisse videri, quod nuptias, & sobolis procreationem, omnino negligeret: Thalem autem in præsentia quidem tacuisse, aliquot vero dierum intervallo subornasse peregrinum quendam,* qui

qui modo decimo die Athenis profectum se diceret. Quærente Solone, numquid Athenis novi esset; hominem, quæ diceret edoctum, Nihil, respondisse, aliud, nisi sanè, quod adolescens efferretur, & prosequeretur funus tota civitas. Nam erat, ut ferebatur, clari viri filius, & virtute inter cives primi. Nec aderat ille, sed longo jam spacio dixerunt eum peregrè esse. O hominem infortunatum, dixisse Solonem. Quodnam ferebant ejus nomen? Audivi equidem, inquit, nomen, homo; sed excidit mihi: memini tantum, multam habitam mentionem ejus sapientiæ, & justitiæ. Ita scilicet admoto ad singulas interrogationes metu, Solonem tandem commotum, ipsum hospiti suggessisse nomen, ac requisisse, Solonisne ille defunctus esset filius. Quo annuente, cæpisse illum caput cædere, aliaq; & facere, & dicere, quæ mærore oppressi assolent. Tum Thalem, represso Solone, ridentem dixisse; at hæc me, Solon, à connubio deterruerunt, & à liberis tollendis: quæ te etiam infringunt, virum constantissimum. Te verò nihil hic nuncius moveat, cum non sit verus.
Narrat rem eandem in hunc modum Joannes Tzetzes. Var. Hist. Chil. V. cap. V.

Thalés, amicus existens Solonis, cælibem agens vitam.
Sæpe impellebatur quidem à Solone ad nuptias:
Thales verò instruxit quendam Milesium,
Veluti qui Athenis recens ipsis advenisset.
Solon autem interrogavit eum, ecquid novi accidisset:
Atq; ille dixit; filius obiit patris peregre profecti,
Civitas verò deducebat universa funus juvenis.
Cumq; Solon diceret: Annon Solonis erat?
Atq; ille affirmaret, Solonis filium illum juvenem fuisse:
Cæpit eiulare Solon, & evellere comam.

Tum

Tum statim Thales, cum risu complexus virum,
Meum, inquit, commentum est; desine flere Solon:
Hæc me privarunt nuptiis, & liberorum generatione,
Quæ te Solonem, illum magnum, dejiciunt.

Huc pertinet illud apud Diogenem Laertium. *Et ipsum refert Dioscordes in Memorabilibus, cum fleret filium dictum, de quo nihil nos accepimus, dicenti; Atqui nihil proficis: respondisse, Imo verò, ideo fleo, quod nihil proficiam.* Stobæus, Sermone CXXI. *Solon, amisso filio, flebat. Et cum quidam diceret, Nihil eum flendo proficere: Atqui, inquit, ob hanc causam fleo.*

CAP. III.

Ejus patria, statuaq; Salamine. Etymologici error. Fortunæ, studiumq; mercaturæ.

DE patria, controverti video apud Auctores, Diogenes Laertius, Salaminium eum dicit, in ejus vita. *Solon Execestidæ filius, Salaminius, primum quidem Athenienfibus novas tabulas induxit.* Et huc pertinet, quod in foro Salamine ejus quoq; statua fuerit dedicata à Salaminiis, tanquam civi præstantissimo, & præclarissimo natalis soli sui ornamento. Quin & ipse hac de causa, cùm in Cypro diem obiret, transferri in Salaminem ossa, ac, in cinerem rédacta, spargi illic voluisse, videri potest. Qua de re nos infra agemus, capite ultimo. Censeo verò, natum quidem Salamine: qua occasione autem, id non liquet. Sed, parentes cum Athenienses essent, inde translatus Athenas, vitam hic deinceps egit. Unde factum, ut Atheniensis esse diceretur. Et sic Thales, in Epistola, apud Diogenem: *Sanè enim annon dementes essemus, ego & Solon Atheniensis.* Herodotus, lib I. *Ac sane Solon, vir Atheniensis, qui, cum leges Atheniensibus jubentibus tulis-*

tulisset, annos decem peregrinatus est. Ausonius, in Sapientum dictis.

Expectare Solon finem jubet, ortus Athenis.

Cicero, De divinat. lib. I. *Alij autem, in Rep. exercitati, ut de Atheniensi Solone accepimus, orientem tyrannidem multò ante prospiciunt.* Suidas. *Solon, Execestidæ filius, Atheniensis, Philosophus, legislator, & populi ductor.* Videndum etiam est Antipatri Epigr. quod habetur Antholog. lib. III. cap. XXXIII. Deniq; Atheniensem ipse quoq; se dicit, in Elegiâ, de Salamine recuperanda, è qua distichon istud à Diogene producitur:

Vtinam sanè ego tunc essem Pholegandrius, aut Sicinites,
Pro Atheniensi, patriâ commutatâ.

Sed autore Etymologici quid faciemus, qui hunc Cilicem esse dicit? Ecce verba: *Solæci, barbari, à Solone Cilice.* Manifestè nugatur, neq; est refutare opus. Ac de patria quidem ejus, ista mihi observata: nunc fortunas videamus. Eæ quidem nullo modo pro familia tam illustri suppetebant. Aristoteli inter cives mediocres numeratur, Polit. lib. IV. cap. XI. *Argumentum autem existimandum est, optimos legumlatores esse ex numero mediocrium civium: nam & Solon ex his erat, idq; ex poësi ejus manifestum.* Sed hanc mediocritatem de potentia, non de opibus, intelligo; quippe, quod ad illas attinet, infra mediocres erat: & se ipse inter pauperes recenset, in poesi illâ ipsa, cujus meminit Aristoteles. Ecce enim tibi istam à Plutarcho, qui sic exhibet.

Nam quod in pauperum se potius numero, quam opulentorum, reponeret, ex hisce liquet:

Multi sanè mali opulenti sunt, boni verò egeni:
Sed nos istis non permutabimus.

Vir-

Virtute divitias: quandoquidem illa semper firma est,
Opes verò hominum aliàs alius habet.

Lucianus in Scythâ, ubi de Solone agit. *Est hîc vir sapiens, & indigena, sed qui multum peregrinatus, cùm in Asiam, tum Ægyptum, sit profectus, ac cum optimis quibusq; hominum conversatus: cætera, non inter divites, sed majorem in modum pauper.* Manuel Palæologus Orat. 1. *Erat hic Atheniensis ille legislator, cui nomen Solon, quem Athenis illis aureis homines admirabantur, non quod aurum possideret, aut suppeditaret: neq; enim auro ille abundabat, nec argentum in pretio habebat.* Et profectò, unde, quæso, opes illi amplæ essent, cui pater, ut potentiâ in rep., sic divitiis, mediocris? En Plutarchi tibi verba. *Omnes enim uno ore Execestidæ filium dicunt, viri opibus, & potentiâ, inter cives mediocris.* Et has ipsas, quanquam mediocres, opes multum attriverat comitate, & beneficentia: unde & Solon, ab aliis sumere, quanquam largè offerentibus, erubescens, tanquam ex ea domo natus, quæ aliis subvenire sveta, adhuc admodum adolescens, mercaturæ se applicuit. Etiam hoc Plutarchus tradit: *Igitur Solon, cum facultates suas pater munificentiâ, ut ait Hermippus & largitionibus, attrivisset, nec deessent, qui vellent ei necessaria suppeditare, erubescens accipere ab aliis, quod ex ea natus esset domo, quæ succurrere consvevisset aliis, contulit se etiamnum adolescens ad mercaturam.*

CAP. IV.

Doctrinæ studium, & eloquentiæ, sapientiæq;. Ac primus sophista dictus, & inter septem sapientes numeratus.

ALii peregrinatum tradunt, non ut quæstum ullum faceret, sed doctrinam compararet: ac discendi adeo cupidum fuisse, ut, ætate cum provectior etiam esset, di-

ceret; se senescentem multa discere. Plutarchus: *Quamvis alii dicant multarum rerum usus, & cognitionis potius gratiâ, quàm quæstus, Solonem per orbem vagatum fuisse. Erat enim sapientiæ ex professo amator; quippe qui vel gravis jam ætate diceret; senescere se, multa indies addiscentem.* Estq; istud ejus dictum, longè sanè celebratissimum. Plato, in Amatoribus.

Quid aliud verò, nisi quod sensit Solon? Solon enim alicubi dixit: Senesco verò, semper multa discens. Iterum, De Rep. lib. VII. *Nec Soloni est credendum; Hominem senescentem posse indies multa discere.* Cicero, de Senectute. *Quid, quod etiam (Senes) addiscunt aliquid? ut Solonem versibus gloriantem videmus, qui, se quotidie aliquid addiscentem senem fieri, dicit.* Et huc respexit Dion Chrysostomus Orat. XVIII. *Quippe inter veteres optimi quiq; non solum adolescere, sed etiam senescere, se dixerunt discendo.* Commemorat hoc ipsum etiam Valerius Maximus; & alterum addit, lib. VIII. cap. VII. *Jam Solon, quanta industria flagraverit, & versibus complexus est, quibus significat; se quotidie aliquid addiscentem senescere: & supremo vitæ die confirmavit. Cum, assidentibus amicis, & quadam de re sermonem inter se conferentibus, fatis jam pressum caput erigeret: interrogatusq;, quapropter id fecisset, respondit; Ut, cum istud, quicquid est, de quo jam disputatis, percepero, moriar.* Occurrit idem apud Johannem Salisberiensem, de Nugis Curialium, lib. VIII. cap. XIII. Quod postremum istud attinet, aliqui narrant, hoc dixisse, cum nepotem carmina Sapphûs decantantem audivisset. Stobæus, Serm. XXIX. *Solon Atheniensis Execestidæ, cum ejus nepos ex fratre inter pocula carmen quoddam Sapphûs cecinisset, delectatus eo, docere illud ipsum jussit. Cum autem interrogasset quispiam, curnam ist hoc? nempe, ait, cum didicero, ut è vita discedam.* Neq; eloquentiæ studium, aut sapientiæ, insuper habuit; atq; in eloquentia quidem, tantam laudem est consequutus, ut & inter elo-

quentes

quentes numerandum censeat Cicero, de Orat. lib. I. *Jam verò, de legibus instituendis, de bello, de pace, de sociis, de vectigalibus, de jure civium generatim in ordines ætatesq; descripto, dicant vel Graci, si volunt, Lycurgum, aut Solonem, (quanquam illos quidem censemus in numero eloquentium reponendos,) scisse melius, quam Hyperidem, aut Demosthenem.* Itaq; inter Oratores sed ingenuos, ac veros, collocat Dion Chrysostomus, Orat. XXI. *Aristidem verò & Lycurgum, & Solonem, & Epaminondam, ac si quis alius talis fuit, in rep. Philosophos censeri oportet, aut oratores, secundum ingenuam, & veram, rhetoricen.* Aristides, Orat. Plat. II. *Veruntamen Solon ea quidem, quæ ad Megarenses pertinebant, cecinisse dicitur: sed nec leges, nec orationes, quas tum pro divitibus ad plebem, tum pro plebe ad divites habuit, nec quæcunq; gessit alia in republicâ, cecinit, vel carmine complexus est: verùm oratoriam adhibuit formam, ac in his omnibus pulcherrimè ostendit, quod optima sanè ratione ipse orator, sapiensq;, habendus esset, & utramq; appellationem certè, & facultatem, est consequutus.* In quibus postremis verbis illud merito observandum, quod ab arte oratoriâ, & sapientiâ, etiam appellationem acquisivit: quod & verum est. Nam, ob sapientiam quidem, inter Græciæ sapientes nominari dignus existimatus fuit, ut mox dicam: &, ob artem oratoriam, sophistæ nomen illi datum: quandoquidem sic veteres isti appellabant eos philosophos, qui facundè animi sensa explicarent: ut videre est apud Philostratum, Sophist. lib. I. cujus ista ibi verba: *Sophistas autem veteres appellabant, non tantum eos oratorum, qui eximii in dicendo, & illustres; verum etiam ex philosophis, qui facundè se exponerent.* Hoc Synesius item tradit, in Dione. Itaq; sophista quoq; Solon dictus, quod ab Aristide innuitur, in citatis statim verbis: & disertè commemoratur à Themistio, orat. IV. *Quod igitur honorifica illa, ac plena dignitatis, fuerit appellatio, Solonemq; adeò*

 sophi-

sophistam ab ejus temporis hominibus vocatum fuisse, ex Comicorum, & Historicorum, scriptis narrare vobis, esset hominis insulsi. Atq; adeo primus fuit, qui isto nomine diceretur. Isocrates, in orat. de Permut. *Apud majores quidem certè, ita sese res habebat; nam eos, qui Sophistæ dicebantur, magni faciebant, eorumq; familiares beatos judicabant: Sycophantas autem, perniciosissimos homines judicabant. Cujus rei maximum signum est, quod Solonem, qui primus civium hoc cognomen sortitus est, gubernatorem principemq; civitatis esse voluerunt: in Sycophantas autem, graviores, quam in alios maleficos, leges tulerunt.* Hoc ipsum est, quod Cicero vult dicere, in Bruto: *Ante Solonis ætatem, de nullo, ut diserto, memoriæ proditum est.* Et eloquentiæ quidem ejus monumentum extiterunt Δημηγορίαι; quas scripsisse eum, refert Diogenes Laertius. Jam quod attinet ad sapientiam, & ab ea cognomentum, quod in Aristidis etiam verbis erat, hic innuere orator voluit, cum dicit, eum inter temporis sui sapientes numeratum. Seneca, Ep. XC. *Solon, qui Athenas æquo jure fundavit, inter septem ævi sapientiâ notus.* Aulus Gellius, lib. XI, cap. XVIII. *Postea legibus aliis initioribus, à Solone compositis, usi sunt. Is Solon ex septem illis inclutis sapientibus fuit.* Videndus item Diogenes Laertius, in Thalete, libr. I.: & Ausonius, Ludo septem sapientum. Atq; hoc ipsum maximopere studuisse, ut obtineret, ait Demosthenes, in Amatoriâ. *Et alios honores (Solon) consecutus est: nam & fortitudinis, tropæum Megarense monumentum reliquit: & consilii, Salaminis recuperationem: & cæteris in rebus sapientiæ, leges: quibus etiam hodie plurimi Græcorum utuntur. qui, quanquam tot ornamentis cumulatus, tamen nihil perinde studuit, atq; ut in septem sapientum numerum referretur.* Adjungamus deniq; etiam laudem, quam Macrobius ei tribuit, in Somn. Scip. lib. 2. cap. 17. *Sint in tertio, ac mixto, genere, apud Græcos, Lycurgus, & Solon: inter Romanos, Numa, Catones*

tones ambo, multiq; alii; qui & Philosophiam hauserunt altiùs, & firmamentum reip. præstiterunt: Et profectò verum dicit. ideo enim philosophiam est sectatus, ut ea ad Remp. confirmandam uteretur: habuitq; inde multos sectatores, inter quos Mnesiphilus fuit, Themistoclis familiaris. Plutarchus, in vitâ Themist. *Credendum ergò illis potius, qui Themistoclem scribunt Mnesiphili Phrearrii fuisse sectatorem: qui non quidem orator fuit; neq; è philosophis illis, quos vocabant physicos: verum eam quam dicebant sapientiam, quæ scientia erat reip. administrandæ, & prudentia in gerendis rebus acris, amplexus est, retinuitq;, velut sectam, per successionem à Solone traditam.* Ac Mnesiphili, Solonis nostri in hoc studio sectatoris, meminit item Clemens, Strom. I. *Solonem verò imitatus scribitur Mnesiphilus, cum quo Themistocles est versatus.*

CAP. V.

Poetices studium, ac poemata: à pueris in Apaturiis, die Cureotide, recitari solita, parentum jussu.

POeticen quoq; est sectatus; sed initio, otii tantùm oblectandi: mox sententias philosophicas, & quæ ipse in rep. gessisset, versibus complecti cæpit. Plutarchus: *Poeticâ ab initio, non ullam ob rem gravem, verum ludibundus, videtur temporis fallendi gratiâ usus obiter, atq; in ea se exercuisse; postea verò, etiam sententias inclusit versibus philosophicas, resq; gestas in rep. multas intexuit: non historiæ quidem causâ, sed ad actiones suas defendendas; interdum etiam, ad exhortandos, castigandosq;, & objurgandos Athenienses.* Quidam verò sunt auctores, etiam leges suas carmine scribere instituisse. Plutarchus: *Tradunt verò nonnulli, etiam leges suas aggressum carmine efferre; ac principium recensent, ita se habens:*

Oramus primùm, rex ut Saturnius hisce

Legibus aspiret, velit & concedere laudem.

Ac πιήματα ejus in genere laudat Phrynichus, in Eclogâ Dict. Attic. Καὶ γὰρ Σόλων, ἐν τοῖς πιήμασιν, οὕτω χρῆται. *Etenim Solon, in poematibus, ita utitur.* Memoratq; etiam Plato, in Timæo, & Critia: ac in Timæo quidem ampliùs, festo quoq; Apaturiorum, die Cureotide, à pueris, parentum jussu, recitata. *Erat Apaturiorum dies Cureotis, quo, ut solet isto festo, propositis à parentibus, recitandorum carminum præmiis, multa multorum poetarum poemata recitabantur: ac plures de nobis Solonis versus, quod tunc novi illi essent, decantavimus.* Quin mox Critiam, sic de eo loquentem introducit. *Si, ó Aminander, non quasi aliud agens poeticam tractasset, sed, quemadmodum cæteri poetæ, se totum illi tradidisset, eamq; historiam, quam ex Ægypto attulit, absolvisset, non verò coactus esset illius studium curamq; abjicere, seditionibus, aliisq; incommodis, quibus conflictantem patriam redux comperit, meâ quidem sententiâ, neq; Hesiodus, neq; Homerus, neq; alius quisquam poetarum, illustrior ipso extitisset.* Speciatim commemorantur à Diogene. Γέγραφε δὲ δῆλον μὲν ὅτι καὶ εἰς ἑαυτὸν ΥΠΟΘΗΚΑΣ, ΕΛΕΓΕΙΑ, καὶ τὰ ΠΕΡΙ ΣΑΛΑΜΙΝΟΣ, καὶ ΤΗΣ ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ ἔπη πεντακισχίλια, καὶ ΙΑΜΒΟΥΣ καὶ ΕΠΩΔΟΥΣ. *Constat eum scripsisse, ad seipsum quasdam EXHORTATIONES, ELEGIAS, & DE SALAMINE, item DE ATHENIENSIUM REPUBLICA, quinq; millia versuum: tum etiam JAMBOS, & EPODOS.* Quod ad *Exhortationes* attinet, eas nominat etiam Suidas, in Σόλων. Meminit earum quoq; Aristides, in Orat. περὶ παραφθέγματος.

Jam ut intelligas, Solonem quoq;, legislatorum clarissimum, proferre paraphthegmata, hunc etiam audi. Atq; adeò me audaciâ,

dacia, & insolentia, (nam hæc illi nomina per tuam criminationem conveniunt,) ille superavit: ut, cum nos extra orationem, & orationis causa, commoti, nonnihil nugati simus; ille, quemadmodum nos in Minervam, sic ipse in se, suamq; reip. administrationem, libellum studiosè conscripserit; in quo cum alia, tum hæc habentur:

Nam simul & insperata cum Diis egimus,
Nec egimus frustra. ——

Ubi obiter quoque observa rerum à se in rep. gestarum mentionem, quarum scriptionem statim in Plutarchi verbis istis, mox citatis, memorari animadvertimus: & existimo; illud ipsum opus esse, quod Diogenes appellat, *De Atheniensium Rep. Elegias*, & versibus quinquies mille constitisse nobis tradit. commemorat etiam Pausanias, Atticis. *Solonem verò ajunt postea, compositis versibus Elegiacis, eos exhortatum esse.* Et Philo, περὶ κοσμοποιΐας. *Has ætates etiam descripsit Solon, Atheniensium legislator, versibus istis Elegiacis.* Censorinus, cap. XIV. *Fere enim post septimum quemq; annum articulos quosdam, & in his aliquid novi, natura ostendit: ut & in Elegia Solonis cognoscere datur.* Anonymus, in vita Arati, laudat *Elegias ad Cypranorem*, istis verbis. *Meminit vero horum Solon, in Elegiis, quas scripsit ad Cypranorem regem.* Videndus quoque Suidas, in Σόλων. *Jambos* verò, citat etiam Athenæus, lib. XIV. *Gurus, quod placentæ sit species, etiam Solon testatur*, in Jambis. Aristides, in citatâ Oratione. *Et hæc quidem sunt in Jambis ejus trimetris.* Loquitur autem de Solone. Iterum, Orat. Plat. II. *At Plato quid ait? inter poetas eum se collocare. per Jovem, propter*

ter trimetra. Iterum ipsi sermo de Solone habetur. Carminum, *De Salamine*, meminit etiam Plutarchus, centum versuum fuisse dicens. *Ingenti concursu facto, præconis lapidem conscendit, & cantu eos versus pronunciavit, quorum hoc est exordium:*

Adsum præclarâ præco Salaminis ab orâ,
In cœtum vestrum dulce poema ferens.

Hujus poematis inscriptio, Salamis est, & versus continet centum, sanè quàm venustè scriptos. Meminit poematis hujus etiam Svidas, loco citato. *Epodos* qui laudaret, nondum alibi legere memini.

CAP. VI.

Peregrinatio, Delphis, & Corinthi: ubi convivium Periandri. Certamen de tripode, cum cæteris sex sapientibus: idq; variè memoratum. Anacharsidis, ejus famâ excitati, ad ipsum adventus, & colloquium. Miletum proficiscitur, & sermonem cum Thalete illic habet: item in Cretam.

PEregrè profectus, cum cæteris sex sapientibus Delphis egit, & Corinthi: ubi convivium institutum à Periandro. Plutarchus: *Omnino sola tunc videtur Thaletis sapientia usum excessisse speculatione; reliqui civilibus ab artibus sapientiæ nomen invenerunt. Fuisse una perhibentur & Delphis, & rursum Corinthi: cum conventum eorum communem, & conviviũ, Periander instituisset.* Sed profectionem istam Corinthiacam, quam Plutarchus ante tyrannidem Pisistrati refert, Dion Chrysostomus jam oppressâ à Pisistrato rep. factam tradit, Orat. 37. *Sub illud ipsum tempus verò etiam Solon Corinthi erat, fugiens Pisistrati tyrannidem, non autem fugiens Periandri.* De convivio verò isto Peri-

Periandri, cujus mentio occurrit in Plutarchi verbis, est ejusdem liber quidam singularis; legiturq; inter opera Philosophica. Memoratur verò maximè, tripodis cujusdam, propter Apollinis oraculum, inter illos sapientes circumlatio. Val. Max. lib. 4. cap. 1. *A piscatoribus in Milesiâ regione, verriculum trahentibus, quidam jactum emerat. Extractâ deinde magni ponderis aurea mensâ Delphicâ, orta controversia est: illis, piscium se capturam vendidisse, affirmantibus, hoc, fortunam tractus se emisse dicente. Quâ conditione, propter novitatem rei, & magnitudinem pecuniæ, ad universum ejus civitatis populum delatâ, placuit Apollinem Delphicum consuli, cuinam adjudicari mensa deberet. Deus respondit, illi esse dandam, qui sapientia cæteros præstaret. Tum Milesii consensu Thaleti mensam dederunt, ille cessit eam Bianti, Bias Pittaco, is protinus alii, deincepsq; per omnium septem sapientium orbem: ad ultimum, ad Solonem pervenit: qui & titulum amplissimæ sapientiæ, & præmium, ad ipsum Apollinem transtulit.* Quæ totidem verbis transscripta refert Joannes Salesberiensis, Epist. CLXXII. Narrat etiam Plutarchus, verùm non eodem modo. *Majorem iis autoritatem & gloriam mensæ circuitus, & per omnes circulatio, mutuaq; inter ipsos cum honorificâ modestiâ concessio conciliavit. Nam cum Coi, ut ajunt, verriculum traherent, cujus jactum adhuc incertum hospites Milesii emerant, auream mensam conspexerunt extractam; quam ab Helenâ, Trojâ redeunte, cum veteris oraculi reminisceretur, ibi dejectam fuisse tradunt. Concertatione de mensâ inter hospites & piscatores exortâ, excipientibus inde civitatibus contentionem, quæ in bellum usq; erupit, respondit Pythia utrisq;, uti mensam sapientissimo donarent. Ita primum Miletum missa est, ad Thalem; Cois uni illi id, de quo cum universis Milesiis bello certaverant, ultrò dono concedentibus. Thale Biantem se sapientiorem affirmante, ad illum pervenit: ab illo rursus ad alium missa est, tanquam sapientiorem. Inde ita circum-*

 iens,

iens, & remissa, rediit iterum ad Thalem. Tandem, ex Mileto Thebas deportata, Apollini Ismenio consecrata est. Multifariam res hæc tradita à veteribus. Vide ibidem Plutarchum; ac potissimùm Diogenem Laertium, qui recenset accuratè, in Thalete, lib.I. Tanta verò ejus sapientiæ fama fuit, ut excitatus eâ Anacharsis, Athenas se ad eum contulerit. Et colloquia utriusq; memorantur à Plutarcho, in hujus Vita, & Diogene, in Anacharside: item Luciano, in Scytha, ac Anacharside. Factum autem hoc Olymp. XLVII, anno I: uti autor est Diogenes, in Anacharside. Mox Miletum ipse abit; & Thaletem illic videt, ac compellat: quem sermonem, ex Hermippo, qui acceperat à Patæco, memorat nobis Plutarchus: nosq; eum proposuimus supra, cap. II. Quin in Cretam etiam ivit: uti locuples nobis testis Thales, in Epistola quadam, ad Pherecydem. *Neq; enim adeo amentes sumus, ego & Solon Atheniensis, ut, quum navigio Cretam petierimus, visendi studio; etiam Ægyptum, ut istic cum sacerdotibus, & astronomis, quotquot erant, versaremur: ad te non item navigaturi simus.*

CAP. VII.

Vt Salamina recuperandam Atheniensibus persuaderet, furorem simulat: &, dux belli constitutus, mox recuperat. Astus ejus, quem Pisistrato quidam tribuunt. Megarensium hac de re traditio vetus. Lacedæmoniorum judicium. Versus Homeri Catalogo insertus. Atheniensium in sepeliendo prisca consuetudo indicata. Salamis ab Aiacis filiis, tradita Atheniensibus. Controversia quinq; Spartanorum judicio permissa.

INde ad recuperandam Salaminem animum vertit; neq; destitit, priusquam hanc Atheniensibus restitueret: qua in re, cùm fortitudinis, tum prudentiæ, magnum documentum

tum dedit. Suntq; in hanc rem Demosthenis ista verba, in Erotico. *Scio equidem multos ex obscuris, & contemtis, per eam professionem illustres esse factos: ac Solonem viventem, mortuumq;, maxima gloria floruisse, cui reliqui honores negati non fuerunt. nam & fortitudinis suæ, tropæum Megarense, monumentum reliquit: & prudentiæ, Salaminis recuperationem.* Verùm seriem rei gestæ universam videamus. Qvum Athenienses diuturno & gravi bello de Salamine cum Megarensibus jam defatigati essent, lege sanxerunt, ne quis unquam de recuperanda insulâ verba facere auderet: si quis faceret, ille audaciam capite lueret. Hanc infamiam Atheniensium summam esse censens Solon, & iniquo animo ferens, cũ videret plurimos è juventute occasionem renovandi belli quærere, nec audere, legis metu, mox, dementiâ simulatâ, pileatus in forũ prosilit: ac, præconis saxo ascenso, compositos in hanc rem vers⁹ populo frequenti recitat. quo peracto, cum amici collaudare incepissent, ac Pisistratus excitatos ad parendum inflammaret, illicò, recissa lege, iterũ decretum bellum, ac præfectus illi Solon. Hæc pluribus commemorantur à Diogene Laertio, & Plutarcho, in ej⁹ vitâ; item Polyeno, Strateg. lib.1. Breviter Demosthenes, in orat. de falsa legatione. *Qvum Salamis ab Atheniensib. descivisset, & capite sancitum esset, ne quis de recuperanda verba faceret, proprium sibi periculum faciens Solon, qvum composuisset versus Elegiacos, eos cecinit: atq; ita Insulam quidem, urbi mox recuperavit: ignominiam, jam acceptam, abolevit.* Pausanias, in Atticis. *Fatentur verò Athenienses, defecisse aliquando à se insulam (Salamina) ad Megarenses: Solonem verò, factis versibus elegiacis, ipsos exhortatũ esse, ac disceptatũ hisce de rebus inter illos fuisse, bello autem, cũ vicissent, Salamina recuperasse.* Cicero, De Officiis, lib.1. furoris duntaxat meminit, cæteram rem subindicat. *Imprimisq; versutum, & callidum, factum Solonis: qui, quo tutior vita ejus esset, & plus aliquanto*

to reip. prodesset, fuere se simulavit. Meminit etiam Libanius, Declam. XVI, & Justinus lib. II. Atq; id accidit, Olymp. XLIX. anno I. Anonymus in descriptione Olympiadum, in eo anno. *Solon, furorem simulans, Megarenses stratagemate superavit.* Quanquam sanè falli eum vehementer hic existimo; cum hoc factum sit ante alia, quæ hoc tempus multum certè antevertunt, ut ostendam in sequentibus. Solon verò, præfectus bello, ut jam dixi, cum Pisistrato ad Coliadem navigavit; ibique cum omnes fæminas sacra Cereri facientes offendisset, hominem fidum, qui se transfugam simularet, Salamina ablegavit, moniturum, si matronas Atheniensium primarias capere vellent, uti secum quàm ocyssimè ad Coliadem navigarent. ac pellecti Megarenses, cum in navem viros aliquot imposuissent, eamq; Solon advenientem animadverteret, mulieres abscedere jussit, adolescentes verò imberbes, vestibus earum indutos, mitris quoq; calceisq; exornatos, occultatis intra vestem pugionibus, in littore ludere, choreasq; agitare, donec hostis descendisset, & expugnari navis posset. Dum hæc verò ita aguntur, mox decepti Megarenses cum applicuissent navem, ac certatim, velut fæminas capturi, irruissent, Athenienses, facto impetu, nihil tale expectantes invaserunt, omnibusq; interfectis, in insulam profecti, sibi eam subjecerunt. Ita memorat Plutarchus. Eundem in modum Polyænus, libro primo, jam citato. *Bellum erat Atheniensibus, & Megarensibus, de Salamine. Solon navigabat versus Coliadem, ubi mulieres Cereri festum celebrabant. In eo Solon transfugam ablegat mari, nuntiaturum Megarensibus, si Coliadem navigarent, reperturos mulieres Atheniensium tripudiantes, nisi nimis cunctarentur. Itaq;, dolo inducti, Megarenses, illuc abeunt. Solon verò, fæminas quidem abire jubet; atq; imberbes adolescentes, indutos vestibus earum, & coronis exornatos, armatosq; pugionibus occul-*

occultatis, ludere in littore, ac tripudiare, jubet. itaq; Megarenses, vultu imberbium, & vestitu muliebri, in fraudem inducti, navibusq; exeuntes, mulieres, quas putabant, comprehendere nitebantur. illi verò, strictis derepentè gladiis, viros se, non fœminas, esse ostendentes, hostibus omnibus interfectis, ac conscensis item navibus, Salaminam in potestatem redegerunt. Rem eandem aliter narrat Ælianus, Var. hist. lib. VII. cap. XIX. *Solon belli de Salamine suscepti dux fuit, & captis duabus navibus Megaricis, duces Atticos illis imposuit, atq; suis militibus arma hostium induenda dedit: atq; ita trajiciens dolo, multos Megarensium inermes trucidavit.* Aliter quoque Frontinus, qui factum hoc Pisistrato tribuit, Stratag. lib. IV. cap. VII. *Pisistratus Atheniensis, cum excepisset Megarensium classem, quâ illi ad Eleusin noctu applicuerant, ut operatas Cereris sacro fœminas, Atheniensium raperent, magnâq; editâ cæde eorum ultus esset suos, eadem, qua cæperat, navigia Atheniensi milite complevit, quibusdam matronis habitu captivarum in conspectu locatis. quâ facie decepti Megarenses, tanquam suis, & cum successu renavigantibus, effusi obvii, inermesq;, rursus oppressi sunt.* Neq; aliter Æneas, qui videndus, Poliorcetici cap. IV: & Justinus, lib. II. Causa dissidii, quod Pisistratus cum Solone enavigârit; clarè enim id Plutarchus nobis dicit, in citatis hisce verbis. *Cum in Coliadem cum Pisistrato navigasset, mulieresq; illic omnes, sacra Cereri facientes, invenisset, Salamina virum quendam fidum misit.* Et profectò, fieri potest, ut Soloni id consilium à Pisistrato sit suggestum; atq; inde factum quoq; tribuatur: quod quantumvis vero non sit tam dissimile, nihilominus Soloni, tanquam summo belli duci, meritò id factum adscribitur. Alii, negant eo modo occupatam Salamina; verùm primùm Apollinem Delphicum ei oraculum hoc dedisse:

Heroas terræ proceres venerabere sacris,
Quos ager Asopiæ pullatâ condidit urnâ:

Et vitâ functis occumbens conspicitur Sol.

Solonem autem, qvum noctu in Insulam trajecisset, Periphemo & Cichri heroibus sacra fecisse. inde ab Atheniensibus quingentos accepisse voluntarios, cum decreto, si obtinuissent insulam, penes ipsos reipub. constituendæ summam potestatem fore. Inde vectum multis navibus & triginta remi unâ, appulisse Salamina, ad objectum Eubææ brachiũ. Megarenses verò, qui Salamine habitabãt, postquam illud rescivissent, quanquã quidem haud ita certò, arma statim per tumultum rapuisse; navem quoq; speculatum quid hostes agerent, emisisse: qua oppressâ, simul propiùs venisset & occisis Megarensibus, huic Solonem Atheniensium præstantissimos imposuisse, ac jussisse, ut, quàm possent maximè occulti, urbem peterent: simul, cæteris assumtis, terrestri prælio, cum Megarensibus conflixisse. quod dum faceret, eos, qui in navi erant, exscendentes ocyùs urbem occupasse. atq; ita illis victis, acceptaq; obsequii deinceps fide, & erecto in victoriæ monumentum Enyalii sacello, recessisse. Hæc narrantur à Plutarcho. At Pausanias commemorat, dictitasse Megarenses, non Solonis isto astu, sed proditione exulum, insulam in potestatem Atheniensium devenisse. *Sed Megarenses dicunt, quosdam exules, quos appellant Doricleos, postquam à se ad colonos, sorte ducta ante Salaminem missos, abiissent, Salaminem Atheniensibus prodidisse.* Postea verò, Megarensibus fidem datam non servantibus, cum utrinq; clades multæ inferrentur, permisso arbitrio, & judicio, Lacedæmoniis, à Solone Homeri versus è Catalogo producti, quibus jus Atheniensium in hanc insulam tueretur. Versus autem isti erant:

Aiax vero Salamine adduxit duodecim naves:
Statuit autem ducens, ubi Atheniensium stabant phalanges.

Quo-

Quorum postremum ipse callidè inseruerat. Sed Plutarchum hac de re nunc audiamus: *Verùm enim verò cum perseverarent Megarenses, multaq; in bello mala facerent, & paterentur, arbitrium rei, & judicium, Lacedæmoniis detulere. ac sunt multi, qui Homeri auctoritate adiutum hic Solonem dicant; qui insertum in Catalogo navium versum in judicio recitaverit:*

Aiax verò Salamine adduxit duodecim naves:

Cumq; adduxit, statuit, ubi Atheniensiũ stabant phalanges.

De Homeri loco adhibito, & inserto versu isto, ac judicio item Lacedæmoniorum, refert quoq; Vlpianus, Commentario in Demosthenis orationem, De falsâ legatione. *Cum de Salamine Megarenses & Athenienses, contenderent; Solon ex Homeri versibus rem ostendit, versu inserto, à se composito: nam post istud,*

Aiax verò Salamine adduxit duodecim naves:

adjecit illud,

Statuitq; adductas, ubi Atheniensium stabant phalanges.

Atq; hoc versu conficto, Megarenses in judicio superavit: ostendit enim, Salaminem antiquitus Atheniensium fuisse. Diogenes Laertius, in Solonis nostri Vitâ, inserti quidem in Catalogo versus meminit; sed de Lacedæmoniorum hic judicio, verbum planè nullum facit. Fuere autem inter veteres Scriptores, qui hoc factum, uti prius quoq; istud, quod jam statim memoravi, ad Pisistratum referrent. Strabo indicat, ubi de Salamine agit, lib. IX. *Nunc Athenienses possident Insulam: olim vero de ea cum Megarensibus contenderunt. Et aiunt hi quidem Pisistratum, illi verò Solonem, in Catalogo navium, post hunc versum,*

Aiax vero Salamine adduxit duodecim naves,

inserto per fallaciam isto,

Statuitq; adductas, ubi Atheniensium stabant phalanges:

Poe-

Poetam produxisse testem, à principio Atheniensium eam insulam fuisse. Eadem dicit, ex hoc ipso Strabonis loco, Eustachius, in Commentario ad Homeri istum locum, Iliad. β. sed Plutarchus nobis autor, hæc Athenienses ipsos, tanquam falsa, rejecisse; ac dixisse, judicibus ostensum fuisse à Solone, Philæum, & Eurysacen, Ajacis filios, civitate ab Atheniensibus donatos, insulam ipsis tradidisse: tum, quo magis Megarensibus verum dicere se ostenderet, id sepeliendi ritu, Salamine usitato, evicisse. quippe more Atheniensium mortuos à Salaminiis sepeliri, obversos nempe ad occidentem; cum spectantes orientem Megarenses suos conderent. Verba Plutarchi, ecce ista latinè versa. *Ipsi verò Athenienses, nugas istas esse censent: Solonem autem ajunt, ostendisse judicibus, Phylæum, & Eurysacen, Ajacis filios, accepta ab ipsis civitate, insulam iis tradidisse. quin, cum magis etiam vellet Megarenses redarguere, fidem sibi adstruxisse ex sepultis illic mortuis: qui Atheniensium ritu, non Megarensium, humati essent. quippe usitatum erat Megarensibus, spectantes orientem mortuos sepelire, cum Athenienses contra versus occidentem eos collocarent.* Quod ad morem sepeliendi, consentit etiam Ælianus, Var. hist. lib. VII. cap. XIX. ubi in eadem historiâ ita scribit. *Vicit autem (Solon) etiam eos (Megarenses) oratione; idq; quidem non verborum gravitate, sed argumentis potiorem se faciens. quippe cum sepulchra antiqua aperuisset, Athenienses esse omnes, demonstravit: siquidem occidentem versus siti essent, more majorum recepto.* Et huc pertinet oraculi versus, jam citatus:

Quîs vita functis occumbens conspicitur Sol.

Certè morem Atheniensium hunc fuisse, eumq; lege constitutum, ut, cum sepelirent mortuos, eos ita collocarent, ut spectarent occidentem, clarus testis Ælianus, Var. hist. lib. V. cap. XIV. *Lex etiam hæc Attica fuit, ut, qui in cadaver insepultum inci-*

incideret, omnino terram illi injiceret, sepeliretq́, oculis in occidentem directis. Itaq; manifestus est memoriæ lapsus Diogenis Laertii: qui, in vitâ Solonis, rem hancipsam narrans, Solonem ait ostendisse Atheniensium cadavera orientem spectantia. *Ut vero non vi tantùm, sed & jure Megarenses possidere videretur, sepulchris quibusdam effossis, cadavera ad Orientem versa ostendit, ut sepeliendi mos Atheniensibus.* Dixi verò paullo antè, sub Lacedæmoniorum judicio controversiam hanc fuisse: idq; ab Æliano etiam confirmatur, in citato statim capite XIX. lib. VII. Ἔκρινον δὲ τὴν δίκην Λακεδαιμόνιοι. *Judicârunt vero litem Lacedæmonii.* Et erant quidem ex illis lecti judices quinque; Critolaidas, Amompharetus, Hypsechidas, Anaxilas, Cleones. Plutarchus: *Hanc causam judicarunt è Spartanis viri quinq;: Critolaidas, Amompharetus, Hypsechidas, Anaxilas, Cleomenes.*

CAP. VIII.

Bellum contra Cirrhæos svadet; &, delecto ad id duci Clistheni additus consiliarius, duplici consilio efficit, ut Cirrha expugnaretur.

HAc re magnâ sibi gloriâ apud suos comparata, etiam summa in existimatione totâ Græciâ esse cæpit; cum defendi templum Delphicum, & succurri Appollini debere, diceret: neq; permittendum esse, ut Cirrhæi oraculum ejus profanarent. Itaq;, ab illo inducti, ad arma iverunt Amphictyones. Plutarchus: *Erat jam vel hinc celebris Solon, & inclytus; majus tamen nomen, & clarius, apud Græcos paravit: cùm causam defendit templi Delphici: succurrendum ei esse, inquiens: nec permittendum, ut Cirrhæi oraculum profanarent, sed Deum Delphis vindicandum. Ab illo enim persvasi Amphictyones, cum impetu animi ad bellum capessendum ruerunt: ut cùm alii testantur, tùm in Py-*

thionicarum descriptione Aristoteles, qui Soloni hanc sententiam attribuit. Certè Solone svasore bellum hoc decretum. ait etiam Æschines, Orat. in Ctesiphontem: ubi totam hanc historiam pluribus narrans, inter alia ita dicit *Amphictyones, oraculo accepto, de sententia Solonis Atheniensis, viri & legum ferendarum peritia præditi, & in philosophia, ac poesi, versati, decreverunt exercitum ducere contra nefarios, ut oraculum juberet.* Fuit autem huic quoq; bello, quemadmodum contra Megarenses, Solon dux constitutus; quod ab aliis tamen negatur, & ab ipso quoque Plutarcho: qui Hermippum ita affirmare tradit, & Evanthem autorem habere, istis verbis. *Non fuit tamen bello huic dux, ut tradere Samium Evanthem Hermippus ait. neq; enim id orator Æschynes prodidit, & in Delphorum commentariis Alcmæon, non Solon, dux Atheniensium relatus est.* Et ita se rem habere existimo. Copiis, quas bello isti submisere Athenienses, dux Alcmæon est præfectus; at Græcorum totum exercitum Clisthenes duxit, Sicyoniorum tyrannus: atq; huic additus Solon, qui consilio illum regeret. Quâre factum, ut, cum omnia ex arbitrio ipsius quodam modo gererentur, is reverâ exercitui præesse diceretur, summo imperio nomine tenus tantum Clistheni demandato. Ac Solonem quidem Clistheni additum consiliarium, est videre apud Pausaniam, in Phocicis. *Aliquanto verò tempore post, cum Cirrhæi & alia impiè in Apollinem admisissent, & de terrâ quoq; Dei resecuissent, visum fuit Amphictyonibus bellum cum Cirrhæis gerere; idq; Clistheni Sicyoniorum tyranno, demandârunt: Athenisq;, cujus ille consilio uteretur, Solonem evocârunt.* Suidas. Σόλων. τοῦτον εἵλοντο οἱ Κιῤῥαίοις πολεμεῖν ᾑρημένοι σύμβουλον. *Solon. hunc, qui delecti fuerunt, ad bellum cum Cirrhæis gerendum, consiliarium elegerunt.* Dum id bellum geritur, dato oraculo, invictam Cirrhæorum urbem fore, donec terram sacram mare attingeret, auctor Clistheni fuit

Solon,

Solon, uti Cirrhæorum Deo totam consecraret, ut hoc modo mare sacro Dei agro vicinum fieret, urbsque expugnari posset. Pausanias, libro citato. *De victoriâ verò consulentibus, respondit Pythia:*

Non antè hujus urbis turrim captam dejicietis,
Quàm meum lucum glaucos oculos habentis Amphitrites
Fluctus alluat, resonans in nigrum mare.

Persvasit itaq; Solon, ut Apollini agrum Cirrhaeum consecrarent, quo sacro Dei agro mare vicinum fieret. Quæ totidem verbis Suidas hinc desumta transscripsit. Atq; Clisthenis factum illud, quãquam nulla de consilio Solonis mentione, memorat etiam Polyænus, lib. III. *Clisthenes Cirrham obsidebat. Oraculum erat, Cirrhensem urbem invictam fore eò usq;, dum terram sacram mare attingeret. id Cirrhenses tanquam longè à mari siti, insuper habebãt. Cirrha verò terræ sacræ, quæ ad mare adjacebat, contermina erat. Clisthenes, cum oraculum rescivisset, urbem Deo, & terram ejus, consecravit: ut sic, tota sacra factâ, mare attingeret, quod oraculum dicebat.* Sed & aliud à Solone consilium datum, quo mox Cirrha expugnata commemoratur à Pausania, ibidem, in hunc modum. *Alio etiam idem Solon in Cirrhæos astu usus est: quod aquam Plisti ex alveo, unde in urbem fluebat, alio avertit. Sed, cum obsidentibus resisterent oppidani, & partim puteales aquas partim pluvias è cisternis potarent, ellebori radices in Plistum conjiciendas curavit: atq;, ubi satis infectam medicamento aquam intellexit, in pristinum alveum amnem iterum fluere fecit. Ita Cirrhæi, cum avidius de aqua illa bibissent, alvi perpetuo profluvio laborantes, manium præsidium deserere coacti sunt. Amphictyones verò, urbe potiti, ac Cirrhæis male mulctatis, Dei injurias ulti sunt.* Et hæc quoq; apud Suidam, huc transscripta, reperiuntur. Frontinus etiam istud factum à Clisthene refert, sine Solonis mentione, cujus

consilio tamen fiebat: planè uti Polyænum memorare factum illud antecedens, paullò ante indicavi. Verba ejus ecce ista, lib. III. cap. VII. *Clisthenes Cicyonius ductum aquarum, in oppidum Cirrhæorum ferentem, rupit. mox affectis siti restituit, elleboro corruptam, quâ usos profluvio ventris decipiens cepit.*

CAP. IX.

Dissidium inter Cylonios, & Megacléos, componit. Vrbem lustrat, advocato Epimenide: à quo quædam item accipit ad constituendas leges pertinentia. ac quo tempore istud factum. Platonis locus emendatus.

JAm diu flagrabat urbs dissidio, inter Megaclis familiam, & Cylonis: populusq; in partes etiam discesserat. Solon, qui autoritate excellebat, ut componeret, & periculo imminenti urbem eriperet, intercedens; cum rogando, tum hortando, mox effecit, ut Cylonii in judicio sese sisterе, ac causam dicere, animum inducerent. quod cum facerent, lecti judices trecenti è primoribus, qui supererant è familia Megaclis, vivos, in exilium agunt, mortuorum ossa effossa extra fines projici jubent. Plutarchus: *Porro Cylonium scelus jam diu perturbabat civitatem: & Cyloniorum qui supererant, rursum validi facti erant, ac dissidia cum Megacleis sempiterna exercebant. Atq; hoc tempore cum seditio plurimum invaluisset, populusq; dissideret, Solon, qui autoritate jam excelleret, adhibitis primoribus Atheniensium, in medium processit: ac rogando, & monendo, induxit illos, qui impiati dicebantur, ut judicio se submitterent, atq; causam dicere vellent, trecentis è primoribus jus dicturis. Itaq;, Myrone Phlyense accusante, condemnati, qui supererant, in exilium sunt acti: mortuorum verò cadavera, terrâ eruta, extra fines projecta.* Dum hæc fiunt, insurgentes Megarenses, Nisæam eripiunt, iterumq; Salamina in potestatem suam redigunt. Cum terror urbem invasis-

vasisset, ob spectra quædam, & vates eam expiandam denunciarent, advocatus est Epimenides, uti urbem lustraret. isq; postquam advenisset, Solon eo perfamiliariter usus, multa ab ipso accepit, quæ ad leges conscribendas pertinebant. Plutarchus: *Inter hos motus ingruentibus etiam Megarensibus, amiserunt Athenienses Nisæam, & Salamine rursum exciderunt. & terrores ex superstitione, pariterq; oblata visa, urbem tenebant: ac vates piacula quædam, noxasq;, quæ expiari deberent, sacris præsignificari nunciabant. eam ob causam è Creta accitus est Epimenides Phæstius; qui, cum venisset, Solone usus amico, multa ei suggessit, viamq; præmuniit ad constituendas leges.* Ac Cyloniorum quidem & Megacleorum seditio, ac per eam Salaminiorum defectio, ab Anonymo, in descript. Olymp. commemoratur, Olymp. XLV. anno I. Ita enim ibi ait. *Cylonium piaculum. Salaminiorum ab Atheniensibus ad Megarenses defectio.* Deinde vocationem Epimenidis collocat quadriennio post; id est, Olymp. XLVI. anno I. Neutrum rectè, ut mox ostendam. Hoc certissimum; amicitiâ ejus usum Solonem: quod Plutarchus dicit; neque hoc tantum, verum hospitem etiam habuisse. Tradit idem hic Plutarchus, in libello. De convivio sapientum. *Subjiciens verò Ardalus: Numnam ergo etiam sodalem nostrum, Solonis autem hospitem, Epimenidem, lex aliqua reliquis abstinere cibis jubet?* Quod verò dixi, accepisse eum quædam ab Epimenide, cum Athenis illo tempore versaretur, & hospitio quoq; ipsius uteretur, quæ ad legum constitutionem facerent; isthuc pertinet, quod Epistolam item quandam Epimenides ad Solonem, de Cretensium republicâ, à Minoe constitutâ, scripsisse perhibeatur. Diogenes Laertius, in Epimenide lib. I. *Fertur ipsius (Epimenidis) etiam ad Solonem legislatorem epistola, de republicâ, quam Cretensibus Minos constituit.* Ad hanc autem Athenarũ lustrationem respexit Ammianus Marcellinus, lib. XXVII:

 cum

cum inquit: *Nec Epimenides ille Cretensis, si fabularum ritu ab inferis excitatus reduisset ad nostra, solus purgare sufficeret Romam.* Quo verò tempore hæc vocatio Epimenidis, & lustratio, contigerit, variè autores tradunt. Marianus Scotus, Chron. lib. I. refert in Olymp. XLIII. annum IV. Ita enim illic scribit: *Epimenides Athenas purgari jussit.* Suidas memorat, Olymp. XLIV. accidisse. *Epimenides urbem lustravit, à scelere Cylonio, Olympiade XLIV, jam grandævus.* Anonymus, in descriptione Olympiadum, refert illud in Olymp. XLVI. annum I. ita illic scribens. *Epimenides Athenas lustrat.* Quem confirmat Diogenes Laertius, qui itidem ait Olympiade XLVI factum. *Atheniensibus, per id tempus peste laborantibus, oraculo respondit Pythia, uti urbem expiarent. illi verò navem mittunt, Niciamque Nicerati filium, in Cretam, vocantes Epimenidem. atque ille, cùm venisset Olympiade quadragesimâ sextâ, urbem ipsorum lustravit.* Quæ totidem verbis, hinc transscriptis, Apostolius etiam refert, Cent. VIII. Proverb. LXXXIV. sed Diogenis quidam codices, uti monet Casaubonus, habent, *quadragesimâ septimâ.* Atq; hæc lectio confirmatur ab Eusebio; qui, ad Olympiadis XLVII annum II, ita scribit. *Epimenides Athenas emundavit.* Sed & vitiosa hæc lectio, & Eusebius erravit. Nam, cùm factum hoc appareat, antequam remp. Solon, latis legibus, ordinasset. quod evenit Olympiadis XLVI. anno III, ut mox ostendam: quomodo potest rectè dici, Olympiade insequente demum factum? Itaq; Suidam, & quos ille Autores sequitur, rectiùs tradidisse censeo. Sed Platone quid faciemus? apud quem Cretensis Clinias ad Atheniensem hospitem tantum decem ante bellum Persicum annis accidisse illud tradit, istis verbis, De Leg. lib. I. Τῇδε γὰρ ἴσως ἀκήκοας, ὡς Ἐπιμενίδης γέγονεν ἀνὴρ θεῖος, ὃς ἦν ἡμῖν οἰκεῖος· ἐλθὼν δὲ πρὸ τῶν Περσικῶν δέκα ἔτεσι πρότερον παρ' ὑμᾶς, κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ μαντείαν, θυσίας τε ἐθύσατο τινάς, ἃς

ὁ θεὸς

ὁ θεὸς ἀνεῖλε· καὶ δὴ καὶ φοβουμένων τὸν Περσικὸν Ἀθηναίων στόλον, εἶπεν, ὅτι δέκα μὲν ἐτῶν οὐχ ἥξουσιν· ὅταν δὲ ἔλθωσιν, ἀπαλλαγήσονται, πράξαντες οὐδὲν ὧν ἤλπιζον παθόντες τε ἢ δράσαντες πλείω κακά. *Audiisti fortasse etiam hîc Epimenidem, qui è familia nostra erat, virum fuisse divinum. is verò, cum decem annis ante bellum Persicum ad vos venisset, juxta datum à Deo oraculum, sacra quædam, quæ facienda responderat Deus, celebravit; cumq; classem Persicam Athenienses formidarent, dixit, intra decem annos non venturam: ac, cum etiam advenisset, nihil eorum, quæ sperassent, Persas effecturos esse: pluribusq;, quàm dedissent, acceptis damnis, recessuros.* Nam si verum est, decem tantum ante bellum Persicum annis Epimenidem Athenas venisse, ad perficienda sacra, ab oraculo mandata, quibus urbem expiaret, necessariò factũ fuerit Olymp. LXXII. anno III: quod est longè absurdissimũ. Omnino corruptum esse locum, Historia clamat; & sequentia ipsius Platonis verba. Τότ' οὖν ἐξενώθησαν ὑμῖν οἱ πρόγονοι ἡμῶν· καὶ εὔνοιαν ἐκ τόσου ἔγωγε ὑμῖν καὶ οἱ ἡμέτεροι ἔχουσι γονεῖς. *Tunc igitur contractum est inter nostros vestrosq; majores jus hospitii: & amicitiam à tam longo sanè tempore inter se progenitores nostri colunt.* Quid enim? si decem tantùm annos dixisset, non hic diceret, οἱ πρόγονοι ἡμῶν, *progenitores nostri: &,* οἱ ἡμέτεροι γονεῖς, *majores nostri:* neq; ἐκ τόσου, *à tam longo tempore.* Quam ob rem, pro verbo δέκα, quod, quantumvis nihili existat, priscæ tamen lectionis vestigia servat, utrobiq; rescribo, ρκά. ut Plato dicat, annis CXXI ante Persicum bellum lustratam urbem ab Epimenide. Ac, scripsisse sic Platonem, nulli deinceps dubium futurum puto. Fuit enim bellum Persicum Olymp. LXXV. anno I. à quo tempore si annos CXXI retrò computes, incides in Olymp. XLIV. annum III. quod cum Svida planè convenit, qui lustrationem hanc ab Epimenide factam tradit, eâ ipsâ Olympiade. De jure vero hospitii, & amicitiâ, tunc contractâ

tractâ inter Cretenses & Athenienses, quod hic à Platone dicitur, est verissimum. nam Epimenides, cum, lustratæ urbis præmium, Athenienses talentum ei dandum decrevissent, id recusans, amicitiam, & societatem, inter suos, & Athenienses, constituit. quod ipsum hoc loco innuit Plato, & traditur etiam à Diogene Laertio, in vita Epimenidis, lib. I. *Athenienses verò ei (Epimenidi) talentum decernunt, navemq; dandam, quæ in Cretam reduceret. at ille, pecuniam quidem non admisit: sed amicitiam, & societatem, inter Cnossios, atq; Athenienses, fecit.*

CAP. X.

Seditionem inter Diacrios, Pediæos, & Paralos, componit. Archon creatur, & leges condit: quo tempore illud fecerit, indicatum. Eusebii, & Mariani Scoti, in hac re error.

Postquam compositus esset tumultus Cylonius, & ejectis sceleri obnoxiis, in seditionem erupit vetus contentio, de rep. administrandâ suscepta, inter Diacrios, Pediæos, & Paralos. Ac populi dominatum, Diacrii; paucorum, Pediæi maximè cupiebant: Parali, cum medium quendam reip. statum vellent, partis ejus utriusq; studium impediebant. Plutarchus: *Athenæ verò, Cylonio sopito tumultu, & exterminatis, uti dictum est, iis, qui ejus sceleris participes erant, veterem seditionem de rep. administrandâ renovârunt, divisa urbe in tot partes, in quot regiones distincta erat. Erant enim Diacrii, qui imperio populi addicti erant: Pediæi, qui paucorum dominatui studebant: tertii, Parali dicebantur; qui medium quendam, atq; mistum, in rep. statum cupiebant; &, utrosq; impedientes, prohibebant, ne summâ rerum potirentur.* Plura verò de hac triplici factione pridem dixi, quæ non repeto, in Pisistrato, cap. III. Illic, si quis volet, videat. Flagrabat verò eodem tempore pauperum cum divitibus

prop-

propter inæqualitatem dissensi[illegible]: itaq; in ancipiti planè resp. erat; neq; item salva aliter esse posse videbatur, quàm, si uni summa rei mandaretur. quippe populus universus, à divitibus ære alieno oppressus, ingemebat: cum aut illis tantùm araret, sextam ipsis fructuum partem persolventes; aut, versuram in corpora sua facientes, abduci à fœneratoribus poterant: parsq; ibi serviebant, pars in terra peregrina venum dati: alii, etiam liberos vendere, & solum vertere, ob duritiem creditorum, cogebantur. Plurimi autem, atq; ij validisimi, convenientes, sese mutuò exhortari, ne periculum negligerent: quin eligerent sibi potius ducem unum, virum cui fidere possent; &, ereptis alieno ære oppresis, terram inter se dividerent, atq; statum reip. universum commutarent. Plutarchus: *Cum autem summa tunc esset inter divites pauperesq; inæqualitas, in lubrico admodum statu civitas versabatur: & componi res duntaxat posse videbatur, si tyrannis constitueretur. Populus enim universus are divitum alieno opprimebatur: & aut agros his colebant, sextam partem persolventes; unde Hectemorii, & Thetes, dicebantur: aut, corporibus pignoratis, abduci à fœneratoribus poterant: ac pars ibi serviebant, pars peregrè venundabantur. Multi etiam, nullâ lege prohibente, liberos vendere cogebantur, & urbem deserere, ob rigorem fœneratorum. pleriq; verò, qui validißimi, congregati, sese mutuò hortabantur, ne negligerent, sed, electo duce aliquo, viro fido, ære oppressos liberarent, terram dividerent, atq; totum reip. statum invverterent.* Inter illa in Solonem prudentisimi quiq; oculos conjecerunt; quod, immunis delictorum, neq; injuriæ locupletum, nec necesitatis pauperum, particeps esset: rogaruntq;, ut remp. capesseret, & disidia componeret. Alii tradunt, ut remp. servaret, circumventâ parte utraq;, distributionem agrorum clam egenis, ac pactorum confirmationem

nem ditibus, ostendisse; verùm ipsum primum invadere Remp. detrectasse, cum illorum avaritiam, horum autem insolentiam, vereretur. Plutarchus: *Hic, qui inter Athenienses prudentißimi erant, advertentes, Solonem præcipuè criminibus vacare, neq; opulentorum injuriæ socium esse, nec neceßitatibus inopum implicatum, oraverunt eum, ut ad remp. accederet, & civium dißidia componeret. Atqui Phanias Lesbius tradit, ipsum Solonem, ad servandam remp. dolo partem utramq; circumvenisse; ac clam promisisse egenis divisionem, locupletibus verò pactorum confirmationem. sed & ipse ait, Solonem refugisse primum remp. capessere, horum avaritia, illorum insolentia deterritum.* Itaq; archon post Cleombrotum constitutus, simul & constituit concordiam, & leges tulit, gratus pariter locupletibus & pauperibus: illis quidem, quod & ipse dives esset: his, quod probus. Et vox ejus ferebatur; *æqualitatem nullum bellum concitare.* Plutarchus: *Archon verò est electus post Cleombrotum, simulq; concordiæ arbiter, & legislator. fuit autem acceptus divitibus, tanquam dives, & pauperibus, ut probus. Voxq; etiam ejus in ore populi fuisse fertur, quâ dixerat: Æqualitatem bellum non facere.* Ælianus, Var. hist. lib. VIII. cap. X. *Solonem Athenienses ad gerendum magistratum elegerunt, non autem sorte crearunt. Postquam autem electus est, cùm aliis rebus multis ornavit civitatem, tùm etiam leges, quibus inpræsens utuntur, iis scripsit.* Incidit autem hic Solonis magistratus, & legumlatio, in Olymp. XLVI. Cyrillus, in Julianum, lib. I. *Quadragesima sexta Olympiade Solon sua jura dedit.* Et quidem in annum III. ejus Olympiadis. Diogenes Laertius, in ejus vitâ: *Florebat verò circa Olymp. XLVI. cujus anno III. Archon Atheniensium fuit, uti autor est Sosicrates: quo etiam tempore leges constituit.* Idq; confirmat etiam Anonymus in Descriptione Olympiadum, ad eundem istius Olympiadis annum. Errat autem Maria-

Marianus Scotus, Chron. lib. I. quæ refert Olymp. XLIV. anno II. Propius à verò abest Eusebius, Chron. lib. II. qui id tradit accidisse Olymp. XLVI. anno II. unico tantum anno aberrans. Vide, quæ notavi plura in hanc rem, De Archontibus, lib I. cap. XII.

CAP. XI.

Tyrannidem, à populo oblatam, suadente etiam oraculo, aliisq; recusantem per convitia incitantibus, non admisit.

INter hæc nonnulli ipsi autores esse, uti sibi principatum vindicaret: & oraculum in hanc rem fuisse datum etiam tradunt. quidam insuper conviciis eum quoque incessebant, quod invidiosum nomen monarchiæ, mox in regnum sua virtute commutandum, detrectaret. Plutarchus. *Unde in spem erecti magnam utrinq; primores civitatis adhærebant Soloni, tyrannidis pararios sese efferentes, ac persuadere cupientes, ut audacter capesseret remp. quam in potestate sua jam teneret. Multi verò mediocrium quoq; civium, cum viderent, operosum ac difficile futurum, urbis statum ex ratione, atq; lege, commutare, unum aliquem prudentissimum, ac justissimum, principem facere minimè refugiebant. Quidam ajunt, etiam oraculum Soloni datum istiusmodi Pythone:*

Ad puppim residens moderator dirige cursum,
Multus Athenarum, populus tua signa sequetur.

Maximè verò insectabantur eum amici familiares, quod deterreretur nomine monarchiæ; quasi non suscipientis eam virtus mox versura in regnum esset. Idq; Eubœensibus quondam accidisse, qui Tynnondam: & in præsens, Mitylenæis, qui tyrannum sibi Pittacum elegissent. Sed nihil horum Solonis constantiam concussit; & amicis dixisse fertur: *Pulcrum fundum esse tyrannidem, verùm exitum non habere.* Nec non ad Phocum quædam

 scripsit,

ſcripſit, in rem illam pertinentia: quin & iis reſpondit, qui convitiis inceſſebant. Plutarchus: *Horum nihil Solonem de ſententia dejecit; ſed, ut fertur, dixit amicis: Pulchrum fundum tyrannidem, ſed non habere exitum.* *Ad Phocum verò verſibus ſcribens, inquit:*

Quod telluri patriæ peperci;
Tyrannidem verò, & vim immitem,
Non attigi, polluens aut dehoneſtans gloriam,
Non me pudet: etenim hoc modo me ſuperaturum puto
Omnes homines. ——

Unde patet, eum, etiam priusquam leges ferret, in magna exiſtimatione fuiſſe. Quæ verò, ipſo tyrannidem fugiente, multi irridentes dixerint, ipſe hunc in modum ſcripſit:

Neque cordatus eſt Solon, neque vir multi conſilij;
Bona enim largiente Deo, ipſe non accepit:
Ac prædam, cum teneret, admiratus, non attraxit magnū
Rete, animo delinquens, & mente captus:
Cum optare debuiſſet, ut, divitias magnas nactus,
Et tyrannus Athenarum factus vel unico tantum die
Inſtar utris vapularet inde, & genus ſuum interiret.

Breviter hæc omnia Diogenes Laertius. *Adhærebat ei deinceps populus, idque benigne; & tyrannum ſibi eum cupiebat: verum ille non admiſit.* Eſt in hanc rem elegans locus Ariſtidis, in Orat. Plat. II. *Solon certè, cum poſſet in civitate, ſeditione laborante, alterutri parti patrocinando, tyrannidem capere, ab utrisque maluit, propter æquitatem, odio haberi. ac tum à divitibus, quantum honeſte poterat, abſtulit; tum populo, non, quantum volebat, conceſſit: mediamque inter omnes fortitudinem, & juſtitiam, collocavit: ceu reverâ ex præcepto geometriæ circumſcriptos limites*

quoſdam

quosdam tueretur. nec vel metus potentiorum, vel honor populi, vel aliud quicquam istiusmodi, eum dimovit, aut incitavit, ut aliud quid, præter id, quod optimum videretur, ageret. Nec tamen, repudiata tyrannide, nimis leniter in rep. administrandâ sese gessit, nec ambitiosè etiam: sed in illis, quæ existimabat posse tolerari, nil mutabat: in cæteris verò, tantum fecit, quantum vel suadendo apud obsequentes, vel cogendo apud reluctantes, obtenturum se sperabat: prudentissimo temperamento justitiam, & vim, permiscens. Unde mox interroganti, an Atheniensi populo leges optimas scripsisset; Optimas earum, inquit, quas accepturi ipsi erant. Plutarchus. *Nec tamen, rejectâ tyrannide, remp. nimis leniter gessit; neq; molliter, potentibus concedens, aut in gratiam eorum, qui ipsum elegissent, leges tulit: verùm, ubi id factu optimum, nil correxit, aut mutavit; veritus, si omnia confunderet, perturbatâ civitate, ad eam reficiendam, optimaq; ratione temperandam, viribus deficeretur. quæ verò apud obsequii promtos verbis persuadere posse se sperabat, aut per vim à recusantibus extorquere, ea fecit; pariter vim, ut ipse ajebat, & justitiam, inter se miscens. unde postea percunctanti, ecquid optimas Atheniensibus leges scripsisset: Optimas earum, dixit, quas ipsi admissuri erant.*

CAP. XII.

Æs alienum populi abolet, lege latâ, quæ Σεισάχθεια nuncupata: eaq; unde ita dicta. Ægyptiorum in rem eandem similis lex, quam videtur imitatus. Amicorum, qui χρεωκοπίδαι dicti, turpe factum: propter quod calumnia gravi impeditus, mox se tamen ab ea vindicat, remissis aliquot talentis sibi debitis.

ARchon constitutus, nihil prius habuit, quam ut populum, ære alieno oppressum, liberaret: & à tam præclaro

ro opere magistratum inchoavit. Novis autem tabulis conditis, rem Σεισάχθειαν, molliore loquendi modo, ejus exemplo in aliis etiam Atticis inde usitato, appellavit. Plutarchus: Ἃ δ' οὖν οἱ νεώτεροι τοὺς Ἀθηναίους λέγουσι τὰς τῶν πραγμάτων δυσχερείας, ὀνόμασι χρηστοῖς καὶ φιλανθρώποις, ἐπικαλύπτοντας, ἀστείως ὑποκορίζεσθαι. τὰς μὲν πόρνας, ἑταίρας. Τοὺς δὲ φόρους, συντάξεις· φυλακὰς δὲ, τὰς φρουρὰς τῶν πόλεων. οἴκημα δὲ, τὸ δεσμωτήριον καλοῦντας· πρῶτον Σόλωνος ἦν, ὡς ἔοικε, σόφισμα, τὴν τῶν χρεῶν ἀποκοπὴν σεισάχθειαν, ὀνομάσαντος. τοῦτο γὰρ ἐποιήσατο πρῶτον πολίτευμα. γράψας, τὰ μὲν ὑπάρχοντα τῶν χρεῶν, ἀνεῖσθαι· πρὸς δὲ τὸ λοιπὸν, ἐπὶ τοῖς σώμασι μηδένα δανείζειν. *Quod autem recentiores ajunt, Athenienses, asperitatem rerum benignis, & blandis, vocabulis contegentes, invidia nominis urbanè emollitâ, scorta, appellare amicas; tributa, descriptiones; præsidia civitatum, stationes; carcerem, custodiam; id primum, ut videtur, Solonis commentum fuit: qui æris alieni condonationem, oneris excussionem nuncupavit. Hoc enim primum fuit, quod in rep. ab eo actum; lege latâ, ut, quæ debita tunc existerent, remitterentur: deinceps autem, ne in corpora quis fæneraret.* Ac σεισάχθειαν appellavit, quasi dicas, oneris excussionem. Hesychius. Σεισάχθεια. Σόλων χρεῶν ἀποκοπὴν δημοσίων, καὶ ἰδιωτικῶν, ἐνομοθέτησεν· ἥνπερ σεισάχθειαν ἐκάλεσε, παρὰ τὸ ἀποσείσασθαι τὰ βάρη τῶν δανείων. *Sisachthia. Solon de remissione publicorum privatorumq; debitorum legem tulit: quam sisachthiam appellavit, ab excutiendis oneribus usurarum.* Idem dicit etiam Suidas, & Etymologici Autor. Itaq; cautum à Solone, ut jam dixi, ne fœnori cujusquam corpus deinceps obnoxium esset, condonato vetere ære alieno. Quod ipsum dicit iterum Plutarchus, in libello, De vitando ære alieno. Τί γὰρ ὤνησε Σόλων Ἀθηναίους, ἀπαλλάξας τοῦ ἐπὶ τοῖς σώμασιν ὀφείλειν; *Quid profuit Atheniensibus Solon, postquam corpora eorum à fæneratoribus liberavit?* Alij tradunt, non remissione æris

alie-

alieni, sed usurarum moderatione, sublevatos pauperes, rem hanc Sisachthiam appellasse, quæq; adjuncta ei erant, mensurarum augmentum & pecuniæ precium. quippe minam, cum ad illud usq; tempus drachmis septuaginta tribus æstimaretur, centum inde æstimari drachmis fecit. Quamobrem, cum parem numero summam præstarent, verùm pretio minorem, plurimum sublevabantur æs alienum persolventes, sine ullo creditorum detrimento. Plutarchus. *Nonnulli autem tradiderunt, inter quos est Androtion, non condonatione æris alieni, sed usurarum allevatos moderatione pauperes, acquievisse, atq; hoc beneficium sisachtiam appellasse, gratumq; fuisse: simul etiam, quæ adjuncta huic erant, mensurarum augmentum & monetæ pretium. quippe minam, quæ fuerat ante septuaginta trium drachmarum, fecit ut centum valeret. Itaq;, cum numero parem summam, valore minorem præstarent, multum commodi accessit æs alienum exsolventibus, nihil creditoribus tamen detrimenti.* Breviter hæc Etymologici Auctor. *Sisachthia, erat æris alieni remissio, apud Athenienses. Quidam verò dicunt, usurarum moderationem esse, & augmentum mensurarum, & monetæ pretium.* Meminerunt nobilissimi hujus Solonis facti etiam Dionysius Halicarnasseus, Antiquit. Rom. lib. V.; Dion. Chrysostomus, Orat. XXXI.; Diogenes Laertius, in Solone; Heraclides, in Excerptis de Rebusp.; Similis porrò lex apud Ægyptios fuit: quod cum non nesciret Solon, quanquam nondum eò profectus, hinc videtur exemplum sumsisse. Diodorus Siculus, Biblioth. lib. I. ubi de Ægyptiorum legibus agit. *Et usuras de facultatibus duntaxat obæratorum exigere, sed in nexum corpus ducere nullo modo permittebat. bona, illorum arbitratus esse, qui vel labore comparassent, vel per donationem ab eo, qui dominus erat, accepissent; sed corpora, civitatibus deberi: quibus ad congrua belli pacisq; munia utantur. absurdum enim esse, militem, qui*

pro

pro patria sese periculis objiciat, à creditore, propter fœnus, si ita usus ferat, nexum abduci: & , ob privatorum avaritiam communem omnium salutem in discrimen abduci. Videtur verò & hanc legem Athenis Solon invexisse, sisachthiæ nomine ab ipso vocitatam: qua cives universos, ab ære alieno, in corporis nexum credito, liberavit. Sed turbas hic ingentes illi concitarunt maximi ejus amici, Conon, Clinias, & Hipponicus. Nam, cum illis indicasset, minimè agros se moturum, sed æs alienum tantùm sublaturum: & gnari ipsi, à divitibus non exiguam vim pecuniæ accepissent, atq; , lata lege illâ, nihil reddere tenerentur, defraudatis manifestè creditoribus, magnæ eum & invidiæ, & calumniæ, objecerunt: Plutarchus. *Evenisse verò rem ei ex hac actione memorant omnium acerbissimam. Namq; , ut instituit jam æris alieni gratiam facere; & orationem rei congruentem facere, atq; honestum principium quæreret, ad amicos, quibus maximè fidebat, quibusq; imprimis utebatur, Cononem, Cliniam, & Hipponicum, agros retulit se non moturum, sed in animo habere, æs alienum inducere. Hi, prævenientes illicò, & prævertentes, fænerati sunt à divitibus ingentem pecuniam, qua agrorum sibi plurimum compararunt. Proposito inde decreto, quum possessionibus fruerentur, nec redderent argentum creditoribus, effecere, uti plurimi Solonem incusarent, & calumniarentur graviter, non quasi unà cum aliis ipse defraudaretur, sed defraudantium socius esset.* Idem etiam est legere apud eundem, in Præceptis Reip. Administ. Sed calumniæ huic statim obviam ivit, cum talenta quinq; , sive, ut alii tradunt, quindecim, quæ ipsi debebantur, primus expunxisset. Amici verò nihilominus semper deinceps χρεωκοπίδαι, id est, æris alieni expilatores, sunt appellati. Plutarchus, in sequentibus statim verbis. Ἀλλὰ τοῦτο μὲν εὐθὺς ἐλύθη τὸ ἔγκλημα τοῖς πέντε ταλάντοις. τοσαῦτα γὰρ εὑρέθη δανείζων. καὶ ταῦτα πρῶτος ἀφῆκε κατὰ τὸν νόμον. ἔνιοι δὲ, πεντεκαίδε-

κα

κα λέγουσιν, ὧν καὶ πολύζηλος ὁ Ῥόδιός ἐστι. τοὺς μέν τοι φίλους αὐτοῦ, χρεωκοπίδας καλοῦντες διετέλεσαν. *Verum hoc crimen mox dilutum est quinq; talentis: (ea enim summa fænus exercere est inventus.) quæ ex lege expunxit primus. alij, in quibus Polyzelus Rhodius, quindecim fuisse tradunt. Amicos verò eius semper æris alieni expilatores nominarunt.* Diogenes Laertius, non quinq; talenta, neq; quindecim, sed septem refert. *Quum verò ipsi septem talenta è patrimonio deberentur, primus ea remisit: aliosq;, ut idem facerent, exhortatus est.*

CAP. XIII.

Ab Atheniensibus, primo offensis, sed mox ita delinitis, ut sacrificium, cui nomen Σεισάχθεια, *publicè instituerent, totam Remp. in potestatem accipit. Leges condit & Draconis abolet omnes, præter eas, quæ de homicidijs essent. Quonam tempore leges utriusq; latæ. Ioannis Tzetzæ error ostensus. Draconis legum asperitas; & in eam dictum Demadis, ac Herodici.* Θεσμοὶ *dictæ. Libanij locus restitutus. Draco Solonem quanto tempore antecesserit: tùm, quomodo diem obierit. Theophili Iureconsulti error reprehensus: aut, quo modo locus eius legi debeat, indicatum.*

SEd nec divitibus satis gratus, nec pauperibus etiam fuit; cum illi, tabulas antiquatas, isti, agros non divisos, quod sperârant, ægrè ferrent. Plutarchus. *Neutris verò placuit; verum divites offendit, quia tabulas sustulisset: pauperes autem etiam magis, quod non agros, ut speraverant, divisisset: neq;, Lycurgi exemplo, fortunas omnium æquales, & pares, fecisset.* Verùm tamen, mox decreti commoda percipientes, & querelas omiserunt, publiceque sacrificium, Sisachtiam

 appel-

appellatum, instituerunt: curamq; ipsi emendandæ reip. ¬ item legum ferendarum, demandarunt. quin & universim ei magistratus, conciones, judicia, curiam, permiserunt: quidlibet quocunque modò constituendi, ac mutandi, potestatem facientes. Plutarchus. Ταχὺ μέντοι, τὸ συμφέροντος αἰσθόμενοι, καὶ τὰς ἰδίας αὐτῶν μέμψεις ἀφέντες, ἔθυσάν τε κοινῇ, σεισάχθειαν τὴν θυσίαν ὀνομάσαντες, καὶ τὸν Σόλωνα τῆς πολιτείας διορθωτὴν, καὶ νομοθέτην, ἀπέδειξαν· οὐ τὰ μὲν, τὰ δ' οὐχὶ, πάντα δ' ὁμαλῶς ἐπιτρέψαντες, ἀρχὰς, ἐκκλησίας, δικαστήρια, βουλάς· καὶ τίμημα τούτων ἑκάστου, καὶ ἀριθμὸν, καὶ καιρὸν, ὁρίσαντα· λύοντα; καὶ φυλάττοντα, τῶν ὑπαρχόντων, καὶ καθεστώτων, ὅ, τι δοκοίη. *Citò tamen, commoditatem sentientes, querelas suas privatas deponentes, publicè sacrificarunt, & sacrificium Sisachthiam appellarunt, & Solonem reip. emendatorem, ac legislatorem, constituerunt. nec particulatim tantùm, his concessis, illis vetitis, verum omnia universim permiserunt, magistratus, judicia, curias: ut cujusq; horum censum, numerum, ac tempus, definiret: quæq; in præsens constituta, pro arbitrio abrogaret, aut firmaret.* Hac accepta potestate, ad Remp. emendandam animum vertit: &, initio à Draconis legibus facto, eas omnes præter illas, quæ de homicidijs essent, abrogavit, ob asperitatem nimiam, & pænarum magnitudinem. Plutarchus. *Ac primum leges Draconis, ob asperitatem, & pænarum magnitudinem, cunctas rescidit, præterquam latas de homicidijs.* Cyrillus, Adversus Julianum lib. I. *Quadragesimâ sextâ Olympiade Solon, abrogatis Draconis legibus, sua jura dedit.* Ælianus, Var. Hist. lib. VIII. cap. X. *Solonem Athenienses, lectum sibi, non sorte creatum, reip. principem constituerunt. Postquam verò electus esset, tum alijs rebus multis ornavit urbem, tum & leges ipsis scripsit, quæ etiamnum servantur. Atq; tunc Athenienses Draconis legibus uti desierunt: easq; duntaxat, quæ de homicidio erant, retinuerunt.* Nescio certè quibus

bus autoribus Suidas nobis quatuor legumlatores Atheniensium commemoret; Draconem, Solonem, Thaletem, & Æschylum : istis verbis: *Legumlatores apud Athenienses fuerunt, primus, Draco; post eum, Solon: post hunc, Thales; & post hunc, Æschylus.* Itidem facit Cedrenus. *Leges tulit Atheniensium primus Draco; post illum Solon, leges ejus abrogavit: post hunc alias Thales Milesius tulit: ac rursum Æschylus, cum tyrannidem obtineret, annum unum, & menses septem.* Quod Solonis factum attinet, de quo nobis hic tractatur, accidisse illud Olympiade quadragesimâ sextâ, consentiunt Auctores omnes: quanquam non in ejus anno. Anonymus enim, in Descript. Olymp. annum III: Eusebius verò, Chron. lib. II. secundum assignat. Cyrillus, in citatis verbis, Olympiadem indicasse contentus, annum omittit. Tulerat autem leges suas Draco Olymp. XXXIX. anno I. uti referunt, Suidas, in Δράκων; & Anonymus, in Descript. Olymp. Unde etiam illo anno inclaruisse eum maximè tradit Clemens, Strom. I; & Tatianus, in Orat. contra Græcos. Marianus verò Scotus, Chron. lib. I. ponit Olympiadis XXXVII. annum IV. Freculphus, Chron. Tom. I. lib. IV. cap. XV. nullum tempus certum asscribit. Eodem modo nec Josephus: contentus dicere, paullò eum ante tyrannidem Pisistrati extitisse. Ita enim ait, contra Appionem lib. I. *Non solùm apud alios Græcos neglecta fuit conscriptio, verum neq; apud ipsos Athenienses, quos indigenas esse dicunt, & cultores disciplinæ, quicquam hujusmodi reperitur: sed publicarum literarum antiquissimas esse dicunt leges, à Dracone de cædibus scriptas, homine, qui paullò ante tyrannidem Pisistrati extitit.* Ineptit plane Joannes Tzetzes; qui septenium solùm ponit inter leges à Dracone, & Solone, constitutas, Chil. V. hist. V.

Post septem annos Draconis legumlatoris,
Fit Solon Atticis secundus legumlator.

Nam septem minimum Olympiades fuere inter utriusq; leges: siquidem illæ, latæ feruntur, ut jam dixi, Olymp. XXXIX. istæ verò, XLVI. Certè ejus leges, ob asperitatem nimiam, partim observari desitas, partim etiam à Solone abrogatas, tradit quoq; A. Gellius. lib. XI. cap. XVIII. *Draco Atheniensis vir bonus, multaq; esse prudentiâ, existimatus est; jurisq; divini, & humani, peritus fuit. Is Draco leges, quibus Athenienses uterentur, primus omnium tulit. in illis legibus furem, cujusmodicunq; furti, supplicio capitis puniendum esse, & alia pleraq; nimis severè censuit, sanxitq;. Ejus igitur leges, quoniam videbantur impendio acerbiores, non decreto, jussoq;, sed tacito illiteratoq; Atheniensium consensu, obliteratæ sunt. Postea legibus aliis mitioribus, à Solone compositis, usi sunt.* Adeò verò asperæ erant, ut delictis ferè cunctis pænam capitis sanciret; unde lepidè postea à Demade dictum: *Ejus leges sanguine, non atramento, scriptas fuisse.* ipse autem, causam facti interrogatus, respondisse memoratur; *Parvas, pæna illâ dignas se putare: magnis verò, majorem non habere.* Plutarchus. *Noxas penè omnes capitali supplicio persecutus est; ut & otii damnati morte multarentur, ac qui olus surripuerant, vel poma, in hos non secus atq; in sacrilegos, & homicidas, animadverteretur. Unde postea inclaruit Demades, cùm dixisset: sanguine leges, non atramento, Draconem scripsisse. Ipse verò, uti ajunt, interrogatus, qua de re plerisq; injustè factis capitis pænam irrogasset, respondit: Exiguas, se mereri eam existimare: ad magnas, majorem non habere.* Ubi quæ de pæna furti memorantur, etiam tradit A. Gellius, in citatis statim verbis; quæ verò de otii pæna, Pollux tantùm infamiam fuisse dicit l. VIII. c. VI. Demadis verò de his dictum, refert & Johannes Tzetzes, Var. Hist. Chil. V. Hist. V.

Primus Draco fuit Athenis legumlator,
Omnibus delictis, usq; ad furtum olerum,
Cædem pœnam sine misericordia statuens.
Ob quem deinde Demades, elegans pulchritudine
Sed multò elegantior scitè dictorum sermonibus,
Majorem in modum placuit, cum in judicio dixisset:
Videtur, viri judices, Draco legumlator
Non atramento, sed sanguine, leges exarasse.

Ut autem sanguine eleganter scriptas leges, non atramento, ajebat Demades; ita Draconem eum appellabat Herodicus, quod Draconis illæ essent, & non hominis. Arist. Rhet. lib. II. cap. XXIII. *Et Herodicus Draconem legislatorem draconem appellabat; quod leges ejus non hominis essent, sed draconis: quia asperæ.* Et certè earum asperitatem, taxat etiam idem Aristoteles, Polit. lib. II. cap. X. *Draconis autem leges quidem sunt: verùm ille jam institutæ reip. leges dedit. in his verò legibus nihil est præcipuum, quod quidem memoratu sit dignum, præter acerbitatem, propter pœnæ magnitudinem.* Quia verò abolitæ omnes à Solone, præter eas, quæ de homicidijs latæ, ideo ejus ita meminit Pausanias, tanquam nullas, quam de homicidijs, tulisset. Verba ejus ista extant, Eliac. lib. II. *Ac Thasij quidem statuam in mare abijciunt, Draconis sententiam secuti: qui, cum Atheniensibus leges de homicidijs scriberet, sanxit, etiam inanimata exterminanda, si quid forte hominem, in eum corruens, occidisset.* Dicebantur verò ejus leges Θεσμοὶ, *Sanctiones*, ut Solonis, Νόμοι, *Leges.* Observare est apud Pausaniam, in citatis statim verbis: & apud Andocidem, in Orat. de Mysterijs. Δέξαντα δὲ ὑμῖν ταῦτα, εἵλεσθε ἄνδρας εἴκοσι· τούτους δὲ ἐπιμελεῖσθαι τῆς πόλεως, ἕως ἂν οἱ νόμοι τεθεῖεν. τέως δὲ χρῆσθαι τοῖς

Σόλωνος νόμοις, καὶ τοῖς Δράκοντος θεσμοῖς. *Quæ cum vobis placuissent, viginti viros elegistis: quibus curæ esset resp. donec leges conderentur: interim verò legibus Solonis & Draconis sanctionibus, utendum esse.* Ac mox iterum. Τισαμενὸς εἶπε, πολιτεύεσθαι Ἀθηναίους κατὰ τὰ πάτρια· νόμοις δὲ χρῆσθαι τοῖς Σόλωνος, καὶ μέτροις, καὶ σταθμοῖς· χρῆσθαι δὲ καὶ τοῖς Δράκοντος θεσμοῖς, οἷσπερ ἐχρώμεθα ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ. *Tisamenus dixit, ut remp. Athenienses gubernarent, more à majoribus tradito; Solonis verò uterentur legibus, mensuris, ac ponderibus: insuper Draconis quoque sanctionibus, quibus superiori tempore usi essemus.* Ælianus, Var. Hist. lib. VIII. cap. X. Καὶ τότε ἐπαύσαντο Ἀθηναῖοι χρώμενοι (νόμοις) τοῖς Δράκοντος. ἐκαλοῦντο δὲ ἐκεῖνοι θεσμοί. *Et tunc Athenienses legibus Draconis, quæ Sanctiones dicebantur, uti destiterunt.* Videndus etiam Etymologici Auctor, in θεσμοθέται. Et intelligit Draconis leges Proclus, in Timæum, lib. V. Ὃ δὴ καὶ οἱ θεσμοὶ τῶν Ἀθηναίων εἰδότες, προσέταττον, Οὐρανῷ καὶ Γῇ προτελεῖν τοὺς γάμους. *Quod sanè etiam Sanctiones Athieniensium scientes, mandarunt, Cælo & Terræ præinitiare nuptias.* Causam verò appellationis video; quia hoc prooemium ferè earum erat: Θεσμὸς αἰώνιος τοῖς Ἀτθίδα νεμομένοις, κύριος τὸν ἅπαντα χρόνον. *Sanctio perpetua Atticam incolentibus, rata in universum tempus.* Observo apud Porphyrium, De Abstin. lib. IV. Καὶ Δράκοντος νόμος μνημονεύεται τοιοῦτος. Θεσμὸς αἰώνιος τοῖς Ἀτθίδα νεμομένοις, κύριος τὸν ἅπαντα χρόνον, θεοὺς τιμᾶν, καὶ ἥρωας ἐγχωρίους, ἐν κοινῷ, ἑπομένους νόμοις πατρίοις ἰδίᾳ κατὰ δύναμιν, σὺν εὐφημίᾳ, καὶ ἀπαρχαῖς καρπῶν, πελάνοις ἐπετείοις. *Et Draconis lex ejusmodi memoratur. Sanctio æterna Atticam incolentibus, quæ rata habeatur in omne tempus. Deos honorare, & heroas indigenas, communiter, secundum leges patrias: ac privatim, pro virili; cum fausta apprecatione, fructuumque primitijs, & libis anniversarijs.* Restituendus verò per hanc occasionem Libanij locus, qui nunc mutilus vulgatur, Declam. XV.

Ἀδικεῖτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸν Σόλωνα, καὶ τὸν Δράκοντα, καὶ τοὺς παραδεδομένους ὑμῖν ἀπὸ τῶν προγόνων νόμους τε καὶ * * ἐν οἷς ἐκεῖνοι μένοντες ἐστράτευον. *Injuriam facitis, viri Athenienses, Soloni, & Draconi, traditisq; vobis à majoribus vestris legibus, & * * in quibus illi permanentes militabant.* Suppleo lacunam, ac rescribo, νόμους τε καὶ θεσμοὺς, ἐν οἷς. *legibusq;, & sanctionibus, in quibus.* Nam sine dubio, ut νόμους dixit, ob Solonem; ita θεσμοὺς quoq; dixerit, ob Draconem. Fuit verò Draco ante Solonem, annis XLVII. Ulpianus, in Demosthenis Timocrateam. *Sciendum est, Solonem Athenis fuisse tyrannorum tempore, ante Persica tempora: Draconem verò quadraginta septem annis ante eum, ut est auctor Diodorus.* Quomodo obierit, memorat Hesychius Milesius, libro de viris doctrinâ claris: & ex eo item Suidas, in Δράκων, & Πέτασος. Non possum vero silentio transire magnum errorem Theophili Jureconsulti, qui Lacedæmoniorum legislatorem ipsum facit, in Paraphrasi Institutionum, lib. I. Tit. II. Ἀλλὰ τὸ πολιτικὸν νόμιμον, ἐκ μιᾶς ἑκάστης πόλεως προϊὸν, ἐν ᾗ καὶ κρατεῖ, δέχεται τὴν ὀνομασίαν· οἷον τῶν Ἀθηναίων, ἢ Λακεδαιμονίων. εἰ γάρ τις ἐθέλει τοὺς νόμους τοῦ Σόλωνος, τοῦ τῶν Ἀθηναίων νομοθέτου, ἢ τοῦ Δράκοντος τοῦ τῶν Λακεδαιμονίων, πολιτικὸν νόμιμον τῶν Ἀθηναίων, ἢ Λακεδαιμονίων, ἀποκαλέσαι, οὐκ ἂν διαμάρτοι οὐδὲ σφαλῇ τῆς ἀληθείας. *Sed jus quidem civile, ex unaquaq; civitate, in quâ obtinet, appellationem sumit: veluti Atheniensium aut Lacedæmoniorum. Nam si quis leges Solonis Atheniensium legislatoris; aut Draconis Lacedæmoniorum, jus civile Atheniensium, vel Lacedæmoniorum, appellare velit, non omnino is peccaverit, nec à veritate etiam aberraverit.* Aut, ut imperitiâ eum, & errore liberemus, est legendum: ἢ τοῦ Δράκοντος, ἢ τοῦ Λυκούργου, τοῦ τῶν Λακεδαιμονίων. *Aut Draconis, aut Lycurgi Lacedæmoniorum.*

Cap.

CAP. XIV.

Remp. in quatuor partes dividit; & quid quæq; contribuerit. Aristotelis confusio; Schol. Aristophanis; Etymologici Auctoris, Harpocrationis item, & Suidæ, error. Quot mensuras aridorum, ac liquidorum, quæq; habuerit; & argenti quantum pondus contribuerit: eaq; de re Andocidis locus illustratus.

HIncRemp. ordinare animum inducens, civitatem in quatuor classes divisit: & appellavit Pentacosiomedimnos, Equites, Zeugitas, Thetes. Ac primos quidem ita dixit, quod quingentas mensuras aridorum, & liquidorum, reddere possint: Equites, quod equum alere illi valerent, & trecentas mensuras possiderent: Zeugitas, quod utriusq; generis ducentas: Thetes verò, erant capite censi, & proletarij. Tres priores, magistratuum, muniumq; cæterorum, potentes erant: quartus autem, nullam partem reip. capessebat, sed suffragium duntaxat in concione, calculumque in judicio habebat: quod cùm nihili in principio putaretur, postea tamen magnum apparuit. Plutarchus: *Deinde Solon, cum magistratus omnes, ut ante erant, penes divites relinquere statueret, reliqua autem reip. munia, quorum plebs exors fuerat, promiscua facere, civium censum egit. Ac, quorum facultates aridorum, simul & liquidorum, mensuras quingentas redderent, hos primæ classis fecit, & Pentacosiomedimnos appellavit. Secundæ classis, eos, qui equum alere, aut trecentas efficere possent; hos ordinem equestrem nuncupavit. Tertiæ classis, Zeugitæ dicti: quorum utriusq; generis simul ducentæ erant. Cæteri omnes, Thetes vocati. His nullum magistratum permisit: cæterum hactenus in societatem reip. veniebant, ut in concionem pariter,*

ter, & judicium, venirent, quod initio quidem, nihil; postea, magnum omnino apparuit: cum pleraq; controversiæ ad judices devolverentur. nam quæcunq; magistratibus indicanda permisisset, ab his provocationem ad judices dedit, si quis provocare vellet. Aristot. Polit. lib. II. Cap. X. *Solon certè populo videtur tribuisse potestatem maximè necessariam, magistratus & designandi, & rationes ab iisdem reposcendi. Nam, si ne hujus quidem rei dominus sit populus, servus sit, & hostis, necesse est. Magistratus autem, ex honestis, & divitibus, omnes constituit; ex Pentacosiomedimnis, & Zeugitis: ac tertio censu, quem Equitum vocant. nam quarto, Thetico, nullus patebat magistratus.* Ubi certe confundit ordinem; nam secunda classis, Equitum; tertia, Zeugitarum erat, ut Plutarchus rectè tradidit. Et sic Pollux, lib. VIII. cap. X. *Ordines præterea erant quatuor; Pentacosiomedimnorum, Equitum, Zeugitarum, & Theticorum. Et illi quidem, quod quingentos medimnos liquidorum, & aridorum, facerent, dicti: & ærario talentum solvebant. Illi verò, Equitum censum pendentes, quod equos alere possent, dicti videntur. Colligebant verò mensuras trecentas, & pendebant semitalentum. Qui tributum Zeugitarum persolvebant, à Ducentis mensuris nomen acceperunt, solvebantq; minas decem. Thetes verò, ubi neq; magistratum ullum obibant, ita neq; quicquam dabant.* Breviter Etymologici Auctor, in Θῆτα. *Cum Resp. Atheniensium in classes quatuor divisa esset, maximè egeni, Thetes dicti. Quatuor verò classes erant: Pentacosiomedimnus, Eques, Zeugita, & Thes.* Eodem modo tradunt etiam, Nicephorus Gregoras in Synesium, De Insomnijs: & Thucydidis Scholiastes, lib. III. Ut verò hos ordines confundit Aristoteles, ita alij imminuunt. Scholiastes Aristophanis, ad Equites, tres duntaxat classes ponit; Pentacosiomedimnos, Equites & Thetes. *In tres partes olim populus Athenien-*

sis divisus erat; in Pentacosiomedimnos, ita dictos, quòd tot mensuras ex agricultura haberent: item in Equites, & Thetes. Et Etymologici auctor, quanquam in θητεία postea quatuor classes dicat, tamen tres duntaxat memorat in ζευγίσιον. *Tres Atheniensium classes erant; Pentacosiomedimni, qui ditissimi: Equites, qui equitatum suppeditabant; & Thetes.* Harpocration etiam magis; & duas tantum classes dicit, in ἱππάς: sed corrupta ejus verba, &, pro Σόλων εἰς δύο διεῖλε τέλη τὸ πᾶν πλῆθος Ἀθηναίων: rescribendum, Σόλων εἰς δ' διεῖλε τέλη: ut ostendi Lectionum Atticarum lib. V. cap. XX. Suidas verò, in ἱππάς, etiam auget: & enumerat classes quinque. Itidem malè; ut ibidem à me ostenditur. Quod autem mensuras attinet Pentacosiomedimnorum, Equitum, & Zeugitarum, eæ ipsæ intelligi debent, de quibus Andocides loquitur, in Orat. De Mysterijs. *Tisamenus dixit, ut remp. Athenienses gubernarent, more à majoribus tradito: Solonis verò uterentur legibus, mensuris, ac ponderibus:* Quæ verò illic pondera dicit, tributa intelligit, quæ ijdem persolvebant: nam talentum Pentacosiomedimni, Equites Semitalentum, ac Zeugitæ minas decem tribuebant; ut videre est in Pollucis proximè citatis verbis. Atq; Solon, Rep. quidem hunc in modum ordinata, quandam quasi omnium æqualitatem introduxit. Huc respexit Seneca, Ep. XC. *Solon Athenas æquo jure fundavit.* Et Justinus, lib. II. *Tanto temperamento (Solon) inter plebem Senatumq; egit, ut ab utrisq; parem gratiam traheret.* Item Æneas Gazæus, in Theophrasto. *Solonis quidem (lex) non sinit viro alicui peculiarem dari legem, sed eandem omnibus hominibus poni.* Et hanc exæquationem ipse sibi, etiam compositis versibus, gratulabatur. Plutarchus.

De hac exæquatione ipse sibi applaudit, in hunc modum:

Nam

Nam vires populo tribui, quantum satis essent:
Non detractus ei, aut amplificatus, honos.
Sed neq; divitiis, & opum splendore, superbis
Plus cessi, quam quod sum ratus esse satis.
Vtraq; prævalidis munivi pectora scutis,
Injustè & neutros vincere sustinui.

CAP. XV.

Areopagum constituit & alteram curiam; item accusationum judices mille, ac Demarchos. Tum legem fert in eos, qui seditione exortâ neutri parti se addicerent. Ciceronis memoriæ lapsus.

MOx Aeropagum quoq; constituit, & alteram curiam, qua ferocientem populum coerceret: ita sese, veluti duabus anchoris, remp. fundare existimans. Plutarchus. *Porrò consilium Areopagitarum, quum ex annuis magistratibus, constituisset, in quo ipse erat, quod archon fuisset, & populum nihilominus videret ex remissione æris alieni ferocientem, ac inflatum, alteram insuper curiam conscripsit; legitq; ex singulis quatuor tributus centenos viros, qui ut decretum facerent ante concionem, sanxit; nec quicquam, nisi ex Senatus consulto, populus rogaretur. Superiorem verò Senatum, omnium legum arbitrum, & custodem, statuit: arbitratus, quasi in anchoris duabus stantem, minus fluctuaturam civitatem: seq; populum multò tranquilliorem redditurum.* Ac de Areopagi quidem constitutione, est & Ciceronis locus, De Off. lib. I. *Quamvis enim Themistocles jure laudetur, & sit nomen ejus, quam Solonis, illustrius citeturq; Salamis clarissima testis victoria, quæ anteponatur consilio Solonis, ei, quo primum constituit Areopagitas.* Et paulo post-

Et Themiſtocles quidem nihil dixerit, in quo ipſe Areopagum adjuverit: at ille adjuvit Themiſtoclem. eſt enim bellum geſtum conſilio Senatus ejus, qui à Solone erat conſtitutus. Sed quod ad Senatum Areopagiticum attinet, hoc tenendum eſt; eum diu ante Solonem extitiſſe, & allectos in eundem promiſcuè omnes, quotquot cæteros nobilitate, autoritate, opibusq; antecellerent: ſed is ſtatuit, ut deinceps illi tantum legerentur, qui archontum pridem munus obiiſſent: & ante Ephetas etiam poſuit: ut oſtendo, ex Plutarcho, & Polluce, Areopagi, cap. 3. Inſtituit quoq; ut de accuſationibus judices mille judicarent. Pollux, lib. VIII. cap. VI. χίλιοι δὲ καὶ μετὰ τὸν Σόλωνα, τὰς εἰσαγγελίας ἔκρινον. *Mille verò, ex Solonis inſtituto, accuſationes judicabant.* Sunt &, qui Nauclaros eum, qui iidem cum Demarchis, inſtituiſſe arbitrantur. Scholiaſtes Ariſtophanis, ad Nebulas. *Demarchi, qui prius Nauclari, ſive iĳ à Solone conſtituti, ſive ante.* Et mox, ex Demetrio Phalereo. *Et Demarchos Solon conſtituit.* Quod ad inſtitutionem autem curiæ alterius; de ea ſunt Plutarchi etiam iſta verba, in Publicolâ: *Curiam alteram, uti Solon, non inſtituit: ſed, quæ erat, eam auxit, numero pene duplicato.* Inde ad condendas leges animum adhibuit; inter quas imprimis illa memoratur, quæ infamem eſſe jubebat, ſi quis, ſeditione exorta, neutri parti ſe addictum tenuiſſet. Plutarchus: *Ex cæteris ejus legibus, peculiaris quidem maximè eſt, & præter communem opinionem, illa quæ eum, qui in ſeditione partem neutram ſequutus fuiſſet, infamiâ notat.* Iterum, in Præceptis Reip. gerendæ. *At verò is, cui Deus ratione donati, ac civilis, examinis curam impoſuit, tranquillitate præcipuè, & placiditate, populi felicitatem æſtimans, Solonis reliqua & probabit, & pro viribus imitabitur: id tamen in dubium vocabit, mirabiturq́, quid in mentem illi venerit, ut legem ſcriberet, quâ, qui, ſedi-*

seditione in civitate coortâ, neutri parti se adjunxisset, infamiâ notatur. Rursum meminit, lib. De sera numinis vindictâ; &, De sollertia animalium. Elegantissimus est locus A. Gellii, lib. II. cap. XII. *In legibus Solonis, illis antiquissimis, quæ Athenis axibus ligneis incisæ sunt, quasq; latas ab eo Athenienses, ut æternæ manerent, pœnis & religionibus, sanxerant, legem esse Aristoteles refert, scriptam ad hanc sententiam: Si ob discordiam, dissensionemq;, seditio atq; discordia populi in duas partes fieret, & ob eam causam, irritatis animis, utrinq; arma caperentur, pugnareturq;, tum qui, in eo tempore, in eoq; casu civilis discordiæ, non alterutræ parti sese adjunxerit, sed solitarius, separatusq;, à communi malo civitatis secesserit, is domo, patria, fortunisq; omnibus careto: exsul, extorrisq;, esto.* Joannes Cantacuzenus, Hist. lib. IV. cap. XIII. *Lycurgi legum parum observantes, uni tantùm Solonis studiosè obediunt, notantis infamiâ cives, qui in civitate neutrarum partium fuissent.* Nicephorus Gregoras, lib IX. *Neq; enim æquum erat, nos neutri parti studere, cum Solon ad id exhortetur.* Observa autem, omnes uno ore dicere, pœnam hîc fuisse infamiam. Itaq; memoria destituit Ciceronem; qui commemorat, capitale fuisse: ista enim ejus verba sunt, ad Atticum, lib. X. ep I. *Ego verò Solonis, popularis tui, ut puto, etiam mei, legem negligam, qui capite sanxit, si qui in seditione non alterius utrius partis fuisset;* Exponitur verò legis hujus ratio ab ipso Plutarcho, hunc in modum. *Vult enim, ut videtur, ne quis, rebus suis in tuto collocatis, nullo publici incommodi sensu afficiatur, aut se nullo publici doloris affectu commoveri glorietur: sed ut illico partibus se melioribus justioribusq; multo applicando, in periculi communis societatem veniat, opemq; ferat, potius, quam sine periculo sustineat, dum victorem fors ostendat.* A. Gellius, loco citato. *Quum hanc legem Solonis, singulari sapientia præditi, legissemus, tenuit*

ros gravis quadam in principio admiratio, requirentes, quam ob causam dignos esse pœna existimaverit, qui se procul à seditione, & civili pugnâ, removissent. Tum qui penitus, atq; altè, usum ac sententiam legis inspexerat, non ad augendam, sed ad desinendam seditionem, legem hanc esse dicebat. Et res prorsum se sic habet. Nam, si boni omnes, qui in principio coercendæ seditioni impares fuerint, populumq; partitum, & amentem, non deterruerint, & ad alterutram partem divisi sese adjunxerint, tum eveniet, ut, quum socij partis seorsum utriusq; fuerint, eoq; partes ab ijs, ut majoris auctoritatis viris, temperari, ac regi cæperint, concordia per eos potissimum restitui, conciliariq;, possit: dum & suos, apud quos sunt, regunt, atq; mitificant: & adversarios servatos magis cupiunt, quam perditos.

CAP. XVI.

Lex, quâ orbæ, impotenti nuptæ, alteri se adjungere permittit. Item illa, quæ proximum genere aut ducere orbam, aut elocare, cum quingentarum drachmarum dote cogebat. Tertia, de cæterarum mulierum dote, & matrimonij instituto. Quarta, de sororum consanguinearum nuptijs. Cornelij Nepotis error.

ALtera quoq; lex ipsius, non absurda minus visa, aut ridicula; qua opulentæ orbæ gratiam facit, si, qui eam ex lege sibi vindicavit, impotens sit ad complexum, proximis viri consanguineis se conjungere. Plutarchus. *Absurda autem, & ridicula, videtur lex illa, quæ orbæ concedit; si ille, qui eam ex lege habet, dominus illius factus, rem cum ipsa habere nequeat, ut ex mariti proximis quenquam admittat.* Sed mox quoq; causam reddit. *Atqui ajunt nonnulli, recte id constitutum fuisse in eos, qui, inhabiles ad Venerem cùm sint, pecuniæ tamen*

men causâ divites illas orbas matrimonio sibi jungunt, inferuntque vim naturæ, ob legis privilegium. Quum enim cernunt, licere orbæ, quem libeat, admittere, vel abstinebunt ab ijs nuptijs, vel retinebunt eas: cum opprobrio, avaritiæ, & improbitatis, pœnam dantes. Bene est etiam, quod non quemlibet, sed quem velit ex viri necessarijs, admittat orba, quo proles de familia sit, & de stirpe ejus. In illis verò legis verbis altera quoq; memoratur, cum inquit: *qui eam ex lege habeat, dominus illius factus.* Intelligit autem illam legem, etiam à Solone latam, qua jubebat, ut orbam genere proximus duceret, aut, quingentis drachmis datis, elocaret. Diodorus Siculus, lib. XII. *Tertia etiam lex de orbis, quam & Solon promulgavit, correcta fuit. Jubebat enim, ut genere proximus orbam jure in matrimonium sibi posceret, & vicissim illa quoq; nuptias sibi genere proximi ex lege assereret. Atq; huic necesse erat, orbam ducere, quamvis pauperem, aut quingentas ei drachmas in dotem dare.* Et hæc est illa ipsa lex, de qua Terentius, in Hecyra, Act. I. Sc. II.

Lex est, ut orbæ, qui sunt genere proximi,
Eis nubant: & illos ducere eadem hæc lex jubet.

Ac de elocatione, cum dote quingentarum drachmarum, id est, quinq; minarum, in Phormione, Act. II. Sc. III.

Etsi mihi facta injuria est, verum tamen,
Potius quam lites secter, aut quam te audiam,
Itidem ut cognata si sit, quod lex jubet
Dotem dare, abduce hanc, minas quinq; accipe.

Vide quæ accuratè dixi de hac lege, Lectionum Atticarum, lib. V. cap. I. Solis autem his virginibus dotem statuit; in cæteris nuptijs, nihil permittebat dari, quam tres vestes, & nonnullam parvi pretij supellectilem. quippe sic existimabat, non debere matrimonium mercenarium, aut

vena-

venale, quasi esse: verùm liberorum tantum quærendorum, & amicitiæ, gratiæq;, causâ contrahi. Plutarchus: *Cæteris conjugijs dotes detraxit, sponsamq; præter tres vestes, & supellectilem parvi pretij, inferre quicquam vetuit. Neq; enim meritorium, aut venale, volebat esse fœdus nuptiarum; sed, liberorum causâ, & gratiæ, atq; amicitiæ, virum ac mulierem consociari.* Neq; dubium est, quin supellex quoq; ista expressa à Solone fuerit: nam sartaginem nominat Pollux, lib. I. cap. XII. sect. XV. *Solon verò etiam sponsas, ad nuptias euntes, sartaginem ferre jussit.* Certè Solonem voluisse nuptias contrahi liberorum tantum quærendorum causa, idq; lege statuisse, refert etiam, quanquam omisso Solonis nomine, Isidorus Pelusiota, lib. III. Epist. CCXLIII. *Et apud Athenienses legitimum conjugium liberorum quærendorum causa fieri dicebatur.* Et huc respexit Nonnus, Dionysiac. lib. XLI.

Et Themis Ilithyia, tumidum per sinum
Angustato partu, expandens tegumentum,
Acutum telum sustulit maturato partu,
Leges Solonis habens.

Et postea iterum.

Cadmus eloquentis docet orgia vocis
Leges Solon illibatas, & justum Atticæ tædæ.

Statuit etiam, ut sponsa cum sponso concluderetur, malumq; cum eo cydonium comederet. Plutarchus. *Huc facit item, quod sponsa cum sponso concludatur, ut malum Cydonium cum eo edat.* Iterum, in Præceptis Conjugialibus. *Solon jubebat sponsam cum sponso concludi, ut malum Cydonium cum eo comederet: innuens, ut videtur, primam oris, & vocis, gratiam, concinnam, & suavem, esse debere.* Permisit autem matrimonia quam latissimè: etiam sororum, quanquam tantum

tantum consanguinearum; non item uterinarum. Philo, de Leg. Spec. lib. II. *Deinde preceptum est, de non ducenda sorore, omnino honestum, & ad temperantiam tendens, ac modestiam. Et Solon quidem Atheniensis consanguineas ducere permittens, uterinarum tamen nuptiis interdixit: contra verò Lacedemoniorum legislator, uterinarum concedens, consanguinearum matrimonio abstinere jubet.* Aristophanes ex Euripide profert locum, ubi frater reprehendatur, qui cum sorore uterina rem habuerit. Locus est in Nubibus.

Ille verò confestim cecinit ex Euripide locum quendam, quomodo consueverit
Frater, mehercle, cum sorore uterinâ.

Ad quæ verba sic Scholiastes. *Scripta est ab Euripide fabula, Æolus: in qua introducebat Macareum, Æoli filium, qui Canacen sororem vitiaverat. Quandoquidem verò apud Athenienses permissum est, sorores consanguineas sibi matrimonio jungere, ut exaggeret delictum, addidit, uterinam fuisse.* Non rectè de germanâ sorore dicit Cornelius Nepos in Prooemio. *Neq; enim Cimoni fuit turpe, Atheniensium summo viro, sororem germanam habere in matrimonio, quippe cum cives ejus eodem uterentur instituto.* Iterum in Cimonis vita. *Habebat autem in matrimonio sororem germanam suam, nomine Elpinicen: non magis amore, quam more, ductus; nam Atheniensibus licet eodem patre natas uxores ducere.* Nimis generaliter, & sine exceptione, Minutius, in Octavio. *Athenis cum sororibus legitima conjugia.* Neque enim cum uterinis, ut ostendi; sed cum consanguineis tantum.

CAP. XVII.

Convitia in vivos pariter & mortuos vetat. Testamenti factionem liberam statuit iis, qui sine liberis decederent. Tum profectiones mulierum, item luctum in funeribus, & sumtum, ordinat. In otiosos pœnam sancit: & parentibus alimenta denegat, qui liberos suos artem nullam docuissent, aut ex meretrice prolem suscepissent.

POsuit & leges convitijs, tam in mortuos, quam in vivos; ita ut illis quidem, universim malè dicere non liceret: istis verò, apud sacra, judicia, curias, & ludos. quique in hac re deliquisset, drachmis quinque mulctabatur: quarum tres, læso cedebant; duæ reliquæ, ærario. Plutarchus. *Commendatur item lex Solonis, qua maledicta vetat in defunctos, in vivum quoq; itidem prohibet, apud sacra, judicia, curias, & in ludorum spectaculo: aut mulctam persolvendam statuit privato drachmas tres, & alias duas ærario publico.* De convitijs in mortuos, sunt Demosthenis quoque verba, Orat. in Leptinem. *Quin illa etiam lex Solonis est è laudatarum numero: Mortuo nemini maledicendum, etiamsi quis à liberis ejus maledictis incessatur.* Legem quoq; de Testamentis condidit; qua permisit unicuiq;, sine liberis decedenti, quemcunque hæredem instituere; modo ne vel morbo, aut aliquo veneficio, aut vi coactus, aut blanditiis uxoris inductus, illud faceret. Plutarchus. *Probatur etiam ejus lex de testamentis. Etenim antea non erat jus testamentum condere; sed penes defuncti genus pecunias, & domum, remanere oportebat. Hic verò liberum facit, liberis non*

existentibus, cui visum esset, sua donare: amicitiamq; propinquitati, & gratiam prætulit necessitati: effecitq;, ut pecunia, quorum esset, in eorum etiam potestate foret. Nec temere tamen, aut simpliciter, dare indulsit: sed, si non per morbum, pharmacumve, neq; vinculis, aut necessitate constrictus, vel uxoris blanditijs inductus esset. Iterum, in Quæst. Rom. *Quemadmodum Solon, qui legem tulit, ut donationes mortuorum ratæ essent: nisi quis aut necessitate coactus, aut ab uxore persuasus fuisset.* Demosthenes, Orat. in Leptinem, jam citatâ. *Solon quidem legem tulit: licere, cui liberi legitimi non sint, quem libitum sit, hæredem instituere.* Occurrit lex eadem iterum, apud eundem, in Stephanum, Orat. II. Profectionibus quoq; mulierum, luctibusq;, item festis, modum statuit, vetans; ne quò peregrè euntes ampliùs tribus stolis secum ferrent: neve cibi plus, quam obolo coemissent: neq; calathum, cubitali grandiorem: deniq;, ne noctu iter, nisi ad lucernam faceret: & ut curru veheretur. Plutarchus. *Profectiones quoq; mulierum, luctusq;, & festa, lege adstrinxit, inconditam licentiam coercente. Proficiscenti foras, tres non amplius stolas permittit habere; neq; plus cibi, vel potus, secum efferre, quam obolo emtum: neq; calathum, cubitali majorem: nec de nocte, nisi curru vectam, ad lucernam iter facere.* Quod luctum attinet, lacerationes plangentium vetuit: tum quæ alia ploratum excitarent, & ejulatum, in funeribus alienis: item, ne plus tribus vestibus cum defuncto conderent: neve ad sepulchra accederent aliorum, nisi quando efferrentur. in festis verò mortualibus, ne, ut ante, bove cæso parentarent. Plutarchus. *Lacerationes plangentium, ploratum excitantia, & ejulatum, in aliorum funeribus, sustulit. parentare bove, interdixit; vel amplius quàm tres vestes cum mortuo condere: ad aliena monu-*

menta, nisi in exequijs, accedere. Ubi, quæ de lacerationibus plangentium, & ejulatibus, ac tribus vestibus, & universim funerum sumtu, memorantur; ea quoq; à Romanis, cum leges suas ab Atheniensibus peterent, in XII. tabulas translata. Cic. de Leg. lib. II, *Jam cætera in duodecim, (tabulis,) minuendi sumtus sunt, lamentationesq; funeris; translata de Solonis ferè legibus. Extenuato igitur sumtu tribus vicinijs, tollit etiam lamentationem. Mulieres genas ne radunto: neve lessum, funeris ergo, habento: quia Lex Solonis idipsum vetat.* Et postea. *Posteaquam, ut scribit Phalereus, sumtuosa fieri funera, & lamentabilia, cœpissent, Solonis lege sublata sunt. quam legem ijsdem propè verbis nostri decemviri in decimam tabulam conjecerunt. Nam de tribus vicinijs, & pleraq; illa, Solonis sunt: de lamentis verò, expressa verbis sunt: Mulieres genas ne radunto; neve lessum, funeris ergo, habento.* Præterea, cum videret, urbem indies frequentiorem multò fieri, agrum incultum relinqui, lege cavit; ne filius, quem parens nullam artem docuisset, ipse quoque alimenta ei dare teneretur. Plutarchus. *Porro urbem cum videret hominibus, quotidie in Atticam undiq; propter libertatem, & securitatem, confluentibus compleri; agrum autem ferè infecundum, ac malignum: eos verò, qui mare exerceant, nihil solere apportare ijs, qui nihil habeant, quod reddant; traduxit ad artificia cives, ac legem tulit: ne filius patrem, qui ipsum artem non docuisset, alere cogeretur.* Vitruvius, in Præfat. lib. VI. *Omnium Græcorum leges cogunt parentes ali à liberis; Atheniensium, non omnes, nisi eos, qui liberos artibus erudijssent.* Galenus in Exhort. Orat. ad Artes. *Laudaverit aliquis etiam legislatorem Atheniensium, qui vetabat, filium alimenta dare patri, à quo arte nullâ imbutus esset.* Huc allusit Theophylactus Simocatta, Epist. VII. *Lactentem adhuc equum, quum nutrice destitutum viderint, & longius ali-*

cubi abesse matrem, ut fit, interdum, maternum aliquid faciunt, sicut debet ea, quæ pullum peperit, (nec enim suæ ipsius naturæ obliviscuntur) & fovere relictum non gravantur, tanquam veros, propriosq́, fœtus. Et hæ quidem, à natura ita sunt affectæ; neq́ enim lex Solonis illas cogit. Aliàs, si quis parentem non aluisset, eum infamiâ notabat. Diogenes Laertius, in ejus vitâ, lib. I, inter alias ipsius leges hanc quoq; recitat. *Si quis parentes non aluerit, infamis esto.* Et huc respexit Ælianus, Hist. Anim. lib. IX. cap. I. *Et Solon leonibus non præscribit; qui, lege lata, liberis parentes alendi necessitatem imponit.* Ut autem parentibus, nullam artem liberos suos docentibus, pœnam negligentiæ statuit, ita etiam ignavis: dato Areopagitis mandato, ut observarent, quonam quisq; modo vitam toleraret. Plutarchus. *Et curiæ Areopagitarum præcepit, quonam se quisq́ quæstu tueretur, observare, atq́ in otiosos animadvertere.* Diogenes Laertius, in commemoratione legum ejus. *Quiq́ otiosus est, in eum actio cuilibet esto.* Ter autem convictus, infamiâ notabatur. Pollux, lib. VIII, cap. VI. *Ocij porrò, ex Draconis lege pœna erat infamia: ex Solonis verò, si ter reus peractus esset, infamia mulctabatur.* Ubi quæ de pœna infamiæ ex Draconis lege dicit, vereor, ne memoria destituatur, cum illa capitale censeat; ut refertur à Plutarcho, in citatis antè verbis, cap. XIII. Et hanc quoque à Solone indictam pœnam dicunt alij; & acceptam ab Amaside Ægyptio legem. Herodotus, lib. II. *Hic est autem Amasis, qui legem tulit; demonstrare unumquemq́ apud præsidem loci, unde vivat: quod qui non fecerit, aut demonstrare vitæ suæ rationem justam non potuerit, hunc morte mulctandum. Solon autem Atheniensis, sumptam hanc legem ex Ægypto Athêniensibus promulgavit; quâ illi perpetuò utuntur, lege sanè inculpatâ.* Hoc ipsum est, quod ait Diodorus Siculus, ubi leges Ægyptiorum re-

censet, lib. I. *Insuper injunctum erat Ægyptijs omnibus, ut nomina apud præfectos profiterentur, indicantes simul, quo proventu, & vitæ genere, victum sibi unusquisq; compararet: ac mentitus, vel injustum agitans quæstum, mortis pœnam incurrebat. Quam legem Solon ad Ægypti imitationem, Athenas traduxisse fertur.* Sed de hac re vide, si est operæ pretium, quæ notavi Areopagi cap. IX. Ut autem statuit, ne parentibus ij alimenta darent, qui artem ab ipsis nullam omnino edocti essent; ita etiam id indulsit è meretrice procreatis. Plutarchus. *Illud verò jam durius, quod ad alendos parentes non adstringerentur è meretricibus procreati.*

CAP. XVIII.

Leges ejus in adulteros, raptores, & lenones. πωλεῖν, & πωλεῖσθαι, *quid in ejus lege quadam. Plutarchi locus explicatus.*

REprehenduntur quoq; leges, quas de mulieribus tulit, ut absurdæ. Quippe adulterum, deprehensum, occidere permisit: ac raptori, si quidem liberam rapuisset, centum drachmarum mulctam irrogabat: lenoni viginti; nisi scorta manifesta adhibuisset. Plutarchus. *Omnino verò plurimum absurdi videntur habere leges illæ, quæ de mulieribus sunt latæ à Solone. nam adulterum interficere, deprehendenti concessit; ac, si quis ingenuam mulierem rapuerit, centum drachmarum mulctam constituit: si quis verò lenocinaretur, drachmas viginti; exceptis ijs, quæ palam commeant.* Ubi, quod adulterum licere occidere constituerit, observare est, apud Auctores; qui, quantumvis sine nomine latoris, legis mentionem faciunt. Syrianus, in Hermogenem. *Adulterum quispiam, juxta legem de adulteris, interfecit.* Et Sopater

pater alibi, in eundem. *Lex est, adulterum occidi.* Curius Fortunatianus, Rhet. Schol. lib. I. *Adulteros licet occidere.* Verum hoc est observandum; quod concessam cædem dicat, non præceptam. Atq; hoc verum est. Nam occidere deprehensum, si volebat, sinebatur; quod si nollet, etiam pecuniariam mulctam exigere licebat. Hinc est illud apud Anonymum, in Problem. Rhet. *Lex jubebat, ut adulter pecuniam daret, aut confestim moreretur.* Et videre est, apud Lysiam, in Orat. De cæde Eratosthenis; ubi narrat, ipsum pecuniam obtulisse, quod lex jubebat: se verò, quod licitum erat, interficere voluisse. *Et ille, fatebatur quidem injuriam, sed orabat, & supplicabat, ne se interficerem, sed pecuniam exigerem: ego verò inquiebam, non me occisurum ipsum, verum civitatis legem; quam transgressus, voluptate inferiorem existimasset, ac flagitium istiusmodi in uxorem, liberosq; etiam meos, admittere maluisset, quàm obedientem legibus, ac modestum, se præbere.* Neq; adulterium tantùm in uxore lex statuebat, verùm & in concubinâ. Lysias, in eadem Orat. non multò post, ubi de eadem lege illi sermo. *Atq; ipse legislator adeo justa hæc esse arbitratus est, ut in concubinis etiam, dignitate inferioribus, eandem pœnam constituerit.* Et hoc ipsum sine dubio Jureconsulti Romani hinc acceperunt. Ita enim habent verba Papiniani, in l. *si uxor* XIII. D. *Ad legem Juliam de adult. coerc. Si uxor non fuerit in adulterio, concubina tamen fuit; jure quidem mariti, accusare eam non poterit, quæ uxor non fuit: jure tamen extranei, accusationem instituere non prohibebitur: si modò ea sit, quæ, in concubinatum se dando, matronæ nomen non amisit: ut puta, quæ patroni concubina fuit. Planè, sive justa uxor fuerit, sive injusta, accusationem instituere vir poterit. nam, ut Sextus Cæcilius ait, hæc lex ad omnia matrimonia pertinet, & illud Homericum adducit: Nec enim soli, inquit, Atridæ, uxores suas amant.*

Ὀυ μοῦνοι φιλέουσ᾽ ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων
Ἀτρεῖδαι. ———————

Et adulteri quidem pœna iſta fuit; nunc, adulteræ quam ſtatuerit, videamus. Non ornari eam licuit, aut intrare templa publica; ne matronas, famæ integras, interventu ullo ſuo inquinaret, ac corrumperet: quod ſi tamen ſe ornaſſet, aut in fana ingreſſa eſſet, cuivis ejus veſtimenta lacerare, & diripere ornatum, tum & verberare ipſam, modo ne vel mutilaret, vel occideret, licitum erat. Æſchines Orat. in Timarchum. *Solon autem, legumlatorum celeberrimus, ſcripſit more antiquorum, & graviter, de diſciplina matronarum. Mulierem enim, in quâ adulter deprehenſus fuerit, ornari non ſinit, nec in fana publica intrare; ne ſuo interventu integras matronas corrumpat. quod ſi intraverit, aut ſeſe ornaverit, quemvis dilacerare ejus veſtimenta, & ornatum diripere, jubet, & eam verberare: hactenus tamen, ne vel occidat, vel mutilet. eo modo talem mulierem omni dignitate privans, ac vitam ei morte acerbiorem reddens.* Et Demoſthenes, in Neæram. *In quâ enim muliere deprehenſus fuerit adulter, ei in nullum templum populare licet ingredi; cum in ea & peregrinis mulieribus, & ancillis, liberum aditum præbuerint leges, tum ſpectandi, tum ſupplicandi gratia: Solas iſtas mulieres ingreſſu publicorum fanorum leges prohibent, in quarum aliquâ adulter fuerit deprehenſus. Sin ingreſſæ fuerint, contemtis legibus, impunè quovis modo mulctari licere, vitæ modò parcatur: & mulctandi eas poteſtatem lex cuivis obvio dedit.* Ac mox iterum. *Neq; mulieri liceat ingredi in fana publica, in quâ fuerit adulter deprehenſus. Sin ingreſſa fuerit; impunè quidvis in eam liceat, morte excepta.* Sed nec viro eam ultra in matrimonio habere permittebatur: ſi feciſſet, infamia mulctabatur. Occurrit apud eundem etiam Oratorem, in eadem oratione. *Poſtquam autem adul-*

adulterum deprehenderit, ei, qui deprehendit, porro habere in matrimonio mulierem, ne liceat: quod si verò etiam habuerit, infamis esto. Non dabatur autem judicium, nisi in eos, qui in ipso opere essent deprehensi. Ulpianus, in l. *Quod ait,* XXIII. D. *Ad Legem Jul. de adult. coerc.* clare exprimit. *Quod ait lex, IN FILIA ADULTERUM DEPREHENDERIT, non otiosum videtur. Voluit enim ita demum hanc potestatem patri competere, si in ipsa turpitudine filiam de adulterio deprehendat. Labeo quoque ita probat: & Pomponius scripsit, in ipsis rebus Veneris deprehensum occidi. & hoc est, quod Solon, & Draco, dicunt,* ἐν ἔργῳ. Lucianus in Eunucho. Εἰ δὲ μὴ, ψεύδονται οἱ περὶ αὐτοῦ λέγοντες, καὶ μοιχὸς ἑάλω ποτὲ, ὡς ὁ ἄξων (τοῦ Σόλωνος) φησὶν, ἄρθρα ἐν ἄρθροις ἔχων. *Alioqui mentiuntur, qui dicunt: eum aliquando in adulterio deprehensum, ut tabula (Solonis) loquitur, membra in membris habentem.* Et hoc indicat loquendi modus Oratorum Græcorum, ex verbis legis desumtus, quo videmus eos uti, in citatis ante verbis; *In qua adulter deprehensus fuerit:* & in verbis legis Latinæ, etiam citatæ ab Ulpiano. *In filia adulterum deprehenderit.* Quod verò Plutarchus de lenone memorat, mulctam ipsi constitutam fuisse drachmarum viginti; dissentit vehementer Æschynes, qui supplicium illi capitis positum fuisse ait, Orat. in Timarchum, istis verbis. *Lenones item accusari (Solon) jubet, & convictos capite plecti: propterea, quod, mercede locatâ suâ impudentiâ iis, qui quidem delinquere cupiunt, & tamen inter se colloqui dubitant, ac verentur, efficere solent, ut periculum faciant, & colloquantur.* Deniq; etiam prohibebat, ne quis filiæ, aut sororis, lenonem ageret, nisi quam cum viro virginem consuevisse deprehenderet. Plutarchus. Ἔτι δ' οὔτε θυγατέρας πωλεῖν, οὔτ' ἀδελφὰς, δίδωσι, πλὴν ἂν μὴ λάβῃ παρθένον ἀνδρὶ συγγεγενημένην. *Praterea neque filias, neque sorores,*

 com-

commeare permittit: nisi quam cum viro virginem rem habuisse deprehendisset. Ubi non recte eruditissimus Cruserius πωλεῖν, vertit, *vendere:* ut & illud, cum dicit, lenonem viginti drachmis mulctandum, ob conciliatas fæminas, πλὴν ὅσαι πεφασμένως πωλοῦνται: exponit; *exceptis, quæ propalam venales sunt.* cum debuisset; *præter illas, quæ propalam ad amatores commeant:* nam πωλεῖν, ibi est, *Ambulare, Commeare*: Et ipse Plutarchus, explicare semet cupiens, statim addit; λέγω δὴ τὰς ἑταίρας· αὗται γὰρ ἐμφανῶς φοιτῶσι πρὸς τοὺς διδόντας. *Meretrices dico: illæ enim palam ad amatores commeant.* Certè hanc verbi πωλεῖσθαι significationem esse in lege Solonis, docet etiam Lysias, in Theomnestum, Orat. I. ubi, de lege quadam Solonis agens, ita ait. Προσέχετε τὸν νοῦν. τὸ μὲν πεφασμένως, ἐστὶ φανερῶς· πωλεῖσθαι δὲ, βαδίζειν. *Animadvertite; πεφασμένως, idem est, quod φανερῶς, apertè, manifestè: πωλεῖσθαι verò, est βαδίζειν: ire, incedere.*

CAP. XIX.

Leges de athletarum præmiis, lupi capturâ, puteis communibus; ubi obiter equestris curriculi spacium indicatum, & Hesychius correctus. Tum de arboribus plantandis, & regundis item finibus. eaq; in re Plutarchi locus emendatus: de alveari bus collocandis, fructibusq; non exportandis, excepto oleo: de quadrupedis pauperie, civitatis communicatione, & epulo publico.

Athletarum item præmia ordinavit; & Olympionicæ quidem, drachmas statuit quingentas; Isthmionicæ verò centum. Plutarchus. *Victori ludis Isthmijs, centum drachmas, dari jussit: Olympijs autem, quingentas.* Diogenes Laertius.

tius. *Athletarum quoq; præmia contraxit; & Olympijs quidem, qui vicisset, huic qvingentas drachmas dari: Isthmijs verò, centum jussit.* Lupum quoq; qui, abs se captum, aut occisum, adduxisset, quinq; drachmas accipiebat: qui lupam, unam. Plutarchus. *Et qui lupum adduxisset, quinq; drachmas dedit; qui lupam, unam: ut Demetrius Phalereus refert.* Scholiastes Aristophanis, Ranis, longè majus pretium tradit; &, qui catulum occidisset, hunc talentum: qui adultum, eum duo accepisse. *Lupos olim in Attica interficiebant; & lex erat, quæ occidere juberet: itaq;, qui lupi catulum occidisset, is talentum; qui adultum, duo talenta accipiebat.* Quæ totidem verbis habes etiam apud Suidam, in φυτευσόν. Ac mandata hæc captura ijs, quibus agri pascui plus, quàm arvi, esset: utpote ad quos magis etiam pertineret, propter pecora, quæ pascebant. Plutarchus postea. *Olim autem Atheniensibus usitatum, bellum adversus lupos gerere: ijs quidem, quibus ager pascuus magis, quam arvus, esset.* Honoratum tamen illis animal id fuisse invenio; ac colligere necessaria sepeliendo tenebatur, si quis lupum occidisset. Scholiastes Apollonij, lib. II. *Honoratum enim animal (lupus) apud Athenienses: quiq; interfecit lupum, colligit ipsi, quæ ad sepulturam ejus requiruntur.* Nempe quia Apollini sacrum existimabant. Hesychius. *Est enim lupus Apollini sacer.* Idem est videre apud Ælianum, Hist. Anim. lib. X. cap. XXVI. & Scholiastem Sophoclis, in Electram. Quia vero etiam aquarum penuriâ Athenienses laborabant, lege statuit, uti puteum comunem unum haberent, qui curriculi equestris spatio circum eum adhabitabant; qui remoti longiùs essent, ipsi fodere tenebatur. ac si, ubi decem passus altum puteum effodissent, nondum aquam invenissent, tum ex proximo hydriam sex congiorum bis quotidie implere sinebatur. Plutarch?. *Postqvam verò, qvod aqvam attinet, neq; fluvijs perennibus,*

nibus, neq; lacubus fontibusve copiosis, sat instructa erat regio, sed plerique puteis factis utebantur, legem tulit; uti puteus publicus esset, intra curriculi equestris spatium, quod est quatuor stadiorum, eo uti uterentur: ubi longiùs abesset, uti aquam propriam quærerent. sed si, postquam ad decem passuum altitudinem effodissent, minimè eam invenissent, tum ut peterent è proximo, & quotidie hydriam sex congiorum bis implerent. Ubi quod in verbis legis curriculi equestris spatium quatuor esse stadiorum explicatur, revocat in mentem mihi Hesychij locum, huc omnino respicientem, sed corruptum: ita enim hactenus editur. Ἱππικὸν, τὸ στάδιον. *Equestre, stadium.* Emendo. Ἱππικὸν, τετραστάδιον. *Equestre, quadristadium.* Sic paullò ante rectè apud eundem legitur. Ἵππειος δρόμος, τετραστάδιός τις. *Equestre curriculum, quadristadium quoddam.* Meminit verò hujus spatij etiam Hero, lib. De Geodæsiâ, Propos. III. *Juxta latitudinem hippici ad sinistram fundæ partem observetur.* Ad plantationes quoque curam vertit, ac præscripsit; qui aliam quamcunq; arborem in agro suo plantaret, à vicino is abfistere pedum quinq; intervallo: qui ficum, aut oleam, novem, qui scrobem, aut fossam, ducere vellet, quam profundè effodisset, tantum â fundo alieno is abstineret. Plutarchus. Ὥρισε δὲ καὶ φυτειῶν μέτρα μάλ' ἐμπείρως, τοὺς μὲν ἄλλο τι φυτεύοντας ἐν ἀγρῷ, πέντε πόδας ἀπέχειν τοῦ γείτονος κελεύσας· τοὺς δὲ συκῆν, ἢ ἐλαίαν, ἐννέα. Βόθρους δὲ, καὶ τάφρους, τὸν βουλόμενον ἐκέλευσεν ὀρύσσειν, ὅσον ἐμβάλοι βάθος ἀφιστάμενον μῆκος τ' ἀλλοτρίου. *Modum vero plantationum admodum peritè determinavit; qui enim aliam quampiam arborem in agro suo plantaret, eum à vicino absistere pedes quinq; imperavit: qui ficum, aut oleam, novem. qui scrobes, aut fossas, fodere velit, eum ita fodere jussit, uti, quàm profundè foderet, tanto etiam intervallo ab alieno abstineret.* Sed corruptum leviter verbum sic restituo.

Bó-

βόθρους δὲ, καὶ τάφους, τὸν β. *Qui scrobes, aut sepulchra, fodere v.* Auctor mihi emendationis meæ Cajus Jureconsultus, lib. IV. ad legem XII. Tab. cujus verba repræsentantur in l. *Sciendum est.* XIII D. *Finium regundorum*, in hunc modum. *Sciendum est, in actione finium regendorum illud observandum esse, quod ad exemplum quodammodo ejus legis scriptum est, quam Athenis Solonem dicitur tulisse: nam illic ita est.* Ἐάν τις αἱμασιὰν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύττῃ, τὸν ὅρον μὴ παραβαίνειν. ἐὰν τειχίον, πόδα ἀπολιπεῖν· ἐὰν δὲ οἴκημα, δύο πόδας. ἐὰν δὲ τάφον, ἢ βόθρον, ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος ᾖ, τοσοῦτον ἀπολιπεῖν. ἐὰν δὲ φρέαρ, ὀργυιάν. ἐλαίαν δὲ, καὶ συκῆν, ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτεύειν. τὰ δ' ἄλλα δένδρα, πέντε πόδας. Ubi observa differentiam. Videndus quoq; Constantinus Harmenopulus, lib. II. Tit. IV. cap. περὶ φυτῶν; & Auctores De Limitibus Agrorum à Turnebo olim editi, pag. 180. Qui alvearia ponere vellet, eum abscedere ab alienis, prius positis, ad trecentos pedes, jussit. Plutarchus. *Qui apum alvearia collocat, (jussit) dissitum esse ab ijs, quæ ab alio prius collocata fuerint, ad trecentos usq; pedes.* Cavit item, ne quid fructuum Attica exportaretur, præter oleum: si quis quicquam exportasset, ab archonte devoveri necesse habebat; qui si illud neglexisset, centum drachmis mulctabatur. Plutarchus. *Ex fructibus distrahere quicquam apud peregrinos vetuit, præter oleum duntaxat. & archontem exportantes devovere diris jussit, aut ærario centum drachmas ipsum exsolvere.* Si quadrupes pauperiem fecisset, noxæ dedi statuit; & canem quidem, qui momordisset, catenâ quatuor cubitorum alligatum exhiberi. Plutarchus. *Scripsit etiam de pauperie, à quadrupedibus factâ, legem: in quâ canem, qui momorderit, catenâ quatuor cubitos longâ alligatum, noxæ dandum esse præcipit.* Quo respexit Xenophon, Hist. Græc. lib. II. *Quemadmodum, qui canes eos,*

qui momorderint, catenâ vinctos, noxæ dedunt. Et in civitatem recipi nullum sivit, nisi aut perpetui exilij condemnatum, aut cum familiâ universâ, ad artem illic exercendam, advenientem. Plutarchus. *Præbet verò etiam scrupulum lex de civibus adscriptitijs, quia recipi in civitatem vetat, nisi qui in perpetuum exilium è suâ patria sint ejecti, aut cum toto domicilio, artis exercendæ gratiâ, Athenas commigraverint.* Statuit quoq; , ut quibusdam, honoris ergo, publicè epulum præberetur: ita tamen, ne eidem pluries fieret; ac si quisquam hunc honorem sibi oblatum recusasset, ei pœnam irrogavit. Plutarchus. *Proprium verò est Solonis etiam istud, de epulo publico exhibendo; quod coepulari ipse nuncupavit, eundem autem sæpius excipi, non permittit: excipiq; recusantem, cui illud deferatur, pœna afficit: hunc, plus justo appetentem; illum, honoris publici fastidientem esse ratus.*

CAP. XX.

Leges de prodigis, scortatoribus; & eorum, qui in bello occidissent, liberis publicè alendis: de pupillis, annulariis, unum oculum habentibus, furibusq;: & hic Libanij locus quidam emendatus: de archonte ebrio.

ET hæ quidem ejus leges, a Plutarcho memoratæ. Sed & aliæ fuerunt, quarum alij meminerunt. Ita prodigum, quiq; avitum patrimonium consumsisset, infamem esse statuebat. Diogenes Laertius in ejus Vitâ, lib. I. ubi leges quasdam ejus nobis tradit. *Si quis parentibus alimenta non præbuerit, infamis esto: quiq; patrimonium suum abligurierit, eodem modo.* Anonymus, in Probl. Rhet. *Qui paternas opes prodegerit, infamis esto. insumsit quidam paternas opes, in honores amicorum, & ex lege accusatur.* Huc pertinet, quod Æschines Orat. in Ti-

Timarchum, prodigos recenset quoq; quarto loco, inter eos, qui à verbis apud populum è suggestu faciendis, tanquam infames, prohibentur. *Quarto loco cum quibus agit? Si quis patrimonium, aut hereditaria bona, per luxum absumserit. Nam, qui suam familiam malè administraverit, eodem modo remp. etiam curaturum existimavit: neq. fieri posse censuit legislator, ut idem homo & privatim esset improbus, & publicè bonus: aut decere, ut orator suggestum ascenderet, qui habendæ orationis priùs, quàm ducendæ vitæ, rationem instituisset.* Scortator etiam, ut infamis, à suggestu excludebatur: neq; verba apud populum facere permittebatur. Diogenes Laertius, loco citato. *Et scortatorem a suggestu arcet.* Syrianus, Comment. in Hermogenem. *Et exceptione submovet ipsum, juxta legem, quæ scortatorem dicere prohibet.* Æschines, in Timarchum. *Tertiò cum quibus agit (legislator?) si quis, inquit, meretricium quæstum fecerit, aut scortator fuerit. Nam, qui suum corpus ad ignominiam vendiderit, eum etiam reip. negotia facile venditurum esse existimavit.* Loquitur de ijs, quibus suggestu lege interdictum erat: inter quos nunc tertio loco scortatorem refert. Demosthenes, in Androtionem. *Operæ precium porro est, Athenienses, diligenter inquirere, & spectare, quanta cura Soloni fuerit, hujus legis auctori, in omnibus, quas sanxit, legibus, respublica; & quanto de hac, quam de ijs rebus, quæ legibus continentur, magis sollicitus fuerit. Quod cum ex alijs multis legibus perspicitur, tum verò ex hac, qua vetat ne ij, qui se prostituerunt, in publico vel dicant, vel decernant.* Marius Victorinus, in II. Rhet. Cic. *Impudicus ne concionetur. Major est autem autoritas legis, quæ vetat; quam illa, quæ imperat. Omnis enim lex, quæ vetat, fortior propterea, quia corrigit illam, quæ permittit, aut imperat. Etenim, cùm omnem hominem ad concionem venire liceat, & sit hac lex, quæ quasi permittat: hæc, quæ vetat, infamis ne concione-*

cionetur, corrigit illam legem. Liberos etiam eorum, qui in bello cecidissent, publicè enutriendos, & docendos esse censuit. Diogenes Laertius. *Et filios eorum, qui in bellis occubuissent, ex publico alendos, & erudiendos, præcepit.* Meminitq; hujus legis Lesbonax, in Protreptico. *Quænam mors dulcior? aut quorum post mortem major gloria est? sepulchro publico digni esse existimantur, sacra in honorem eorum peraguntur, ludi item constituuntur, ac pro corpore mortali monumentum immortale relinqvunt: liberi verò eorum, publicè enutriuntur.* Alebantur verò, usq; ad pubertatem: tunc donati integrâ etiam armaturâ, domum suam remittebantur. Aristides in Panathenaicâ suâ. *Soli autem omnium hominum tria hæc sanxistis lege: ut, qui pro patria obiissent, cum ipsi quotannis ad sepulchra publicè laudarentur, tum eorum quoq; liberi usq; ad pubertatem de publico alerentur, postea paternam domum cum integrâ armaturâ remittendi: debiles item cives publicè nutrirentur.* Neq; liberis tantum hoc modo lege hac suâ prospexit, verum & parentibus eorum; vetans, ne injuriâ quisquam eos ullâ afficere auderet. Indicat id nobis Plato, in Menexeno. *Et ipsi reip. curam nostis, quæ, cum leges ferret de eorum, qui in bello cecidissent, liberis, ac parentibus, supremo magistratui mandavit, ut curaret, ne in bello defunctorum parentes, supra cæteros cives omnes, injuriâ ullâ afficerentur: liberos verò, ipsa unà educat.* Porrò statuit, ne pupillorum matrem tutor matrimonio sibi jungeret; neve tutor item fieret, qui futurus hæres esset, post excessum pupillorum: item, ne sigillum ullum annuli, abs se venditi, annularius retineret: tum, qui unum habenti oculum, eum ipsum excussisset, huic excutiendum utrunq;: deniq;, furem, atq; ebrium archontem, morte puniendum esse. Diogenes Laertius. *Pulcherrimè etiam illud statuit; ne tutor pupillo-*

rum matrem uxorem duceret; neve tutor ille fieret, qui, post mortem pupillorum, hæres bonorum esse deberet. Illud etiam, ne liceret annulario, annuli, quem vendidisset, sigillum servare. Et, qui unum habenti oculum, eum ipsum eruisset, huic ut ambo eruerentur. Et, quæ non posuisti, ne tollas: aliàs, capitale fore. Denig. archontem, si deprehensus fuerit ebrius, capite plectendum esse. Ubi quæ commemorantur de tutore, etiam tradit Syrianus, in Hermogenem. *Lex est, ne mulier, sub tutore constituta, aut ei, aut ejus filio, nubat.* Ecce verò, non duntaxat cum tutore, verùm neq; ejus filio, mulier, sub tutela posita, nuptias contrahere permittebatur: quod in liberis quoq; ejus observatum. Marcellinus, in Hermogenem eundem. *Lex est, ne pupilla vel tutori, vel tutoris filio, nubat.* Cyrus Sophista, De Diff. Stat. *Lex pupillum tutori nubere, ejusve filio, vetat. tutor, filium abdicavit; ille, virginem imminuit: quæ cum ejus sibi nuptias elegisset, pater ipsum in gratiam recepit. accusatur, ceu in fraudem legis fecisset.* Anonymus Probl. Rhet. I. *Lex jubebat, ne vel tutor, vel tutoris filius, pupillam uxorem duceret. Tutoris filius, abdicatus, pupillæ stuprum per vim intulit: eumq. pater postea in integrum restituit. Accusatur, tanquam in fraudem legis fecisset.* Quod autem de pœna furti ait Diogenes, eam capitis fuisse; id confirmat quoque Isocrates, in Lochitem. *Equidem vos, si quem sacrilegij, furtive, damnatis, in irroganda pœna non id spectare video, quantum abstulerint; sed, sine discrimine, omnes capitis damnare.* Nihilominus non est hoc simpliciter verum. Æschines, Orat. in Timarchum, eos fures capite luisse ait, qui confessi crimen essent. *Leges verò jubent fures confitentes capite plecti: negantes, judicio sisti.* Alij, tradunt dupli tantùm condemnatos. A. Gellius, lib. XI. cap. XVIII. *Solon ex septem illis inclutis sapientibus fuit. is suâ lege in fures non, ut Draco antea,*

mortis, sed dupli pœnâ vindicandum existimavit Hermogenes, in Partitionibus, Sect. IV. *Ex loco sacro quidam abstulit privatas pecunias. Lex jubet, sacrilegum morte mulctari; furem verò, duplum reddere. Ille, tanquam sacrilegus, in judicium abducitur: ipse verò, sese furem esse dicit* Sed sciendum; ut furtum erat, ita etiam pænam fuisse: mortem, aut duplum. Verùm illud accedebat; ut, qui dupli pænam meritus, etiam per dies quinq;, ac noctes totidem, vinctus prostitueretur, & à cunctis spectaretur. Demosthenes nos istud docet, Orat. in Timocratem: cujus ibi in hanc rem insignis locus, & Solonis legem nobis universam repræsentans. *Atqui Solon, cui nec ipse Timocrates se ferendarum legum scientia conferendum esse censeat, nusquam id egit, ut ejus generis homines impunè grassari possent; sed in hoc potius intentus fuit, ut aut non delinquerent, aut delictorum pænas darent, legemque tulit. Recita legem. LEX. Si quis interdiu supra quinquaginta drachmas furatus fuerit, abduci liceat ad Undecimviros. Si quis verò noctu quippiam surripuerit, eum & occidere, & inter persequendum vulnerare, & ad Undecimviros, si cui libet, abducere fas esto. Convicto autem eorum facinorum, propter quæ in vincula licet abripi, non liceat datis vadibus satisfacere pro furtis, sed mors pæna esto. Ac si quis è Lyceo, aut ex Academia, ut Cynosarge, vestem, aut lagunculam, aut quicquam aliud minimi precij, aut aliqvod vasculum è Gymnasiis, aut portubus, surripuerit, supra decem drachmas, etiam his morte pænas esse luendas constituit. Si qvis vero privato judicio furti convictus fuerit, ei licere litis æstimata duplum solvere: penes verò judices esse, furem, præter argentum, ad qvinqve dierum, totidemque noctium, vincula damnare, ut omnes eum vinctum esse videant.* Ubi quod initio dicitur, de drachmis furti quinquaginta, revocat mihi in memoriam Libanij locum,

cum, in Exemplis Progymnasmatum, Hodie editur: Τοὺς ἐπὶ πέντε δραχμὰς ἁλόντας κολάζετε. *Convictos drachmarum quinq; punitis.* Rescribo. ἐπὶ πεντήκοντα δραχμάς. *Drachmarum quinquaginta.* Adeò verò diligenter furta vetuit; ut, si fimum quispiam surripuisset, neq; huic id impune esse vellet: unde natum & proverbium. Βολίτου δίκην. Schol. Aristoph. ad Equites. *Et proverbium, Fimi judicium: de ijs, qui ob res exiguas in judicium vocantur. Nam Lex Solonis etiam illos, qui fimum furto sustulissent, pœnâ afficit.* Videndus item Suidas, in βολίτου δίκην: & Appendix Vaticana Proverbiorum Andreæ Schotti, Cent. I. Proverb. XXIV.

CAP. XXI.

Leges de funeribus, quæq; ad ea pertinerent: ac Menander hic correctus. tum de legibus novis ferendis, quomodo agi præceperit.

FUnerum quoq; rationem accuratè ordinavit; ut proponerentur ea pro arbitrio, ac postridie, ante Solem orientem, efferentur: viri ducerent, mulieres sequerentur: neq; in defuncti bona ingrederentur, aut cadaver usque ad monumenta deducerent, quæ minores annis sexaginta essent: his exceptis, quæ intra sobrinas forent. Demosthenes, Orat. in Macartatum. *Sed & ex hac lege certius etiam cognoscetis, Judices, quantum Solon studium habeat domesticorum; neq; relicta duntaxat ijs bona donet, sed etiam difficilia quæq; cognatis mandet. Recita Legem. LEX. Defunctum intus proponunto, suo arbitratu: cadaver autem, postridie quam collocaverint, ante Solis exortum efferunto. viri, cum effertur funus, antecedunto: mulieres, ponè sequuntor. Mulieri autem, nefas esto in bona defuncti ingredi, itemq; sequi cadaver, cum in monumen-*

ta ducitur, annis sexaginta minori: iis exceptis, quæ intra sobrinas sunt. nec in bona defuncti ingrediatur, postquam elatum cadaver fuerit, mulier ulla: præter eas, quæ sunt intra sobrinas. Ubi de elatione, & collocatione funeris, quæ traduntur, in memoriam mihi revocant Rhetoris Menandri locum, lib. De divisione causarum in genere demonstrativo. cap. πῶς δεῖ ἀπὸ ἐπιτηδεύσεων τὰς πόλεις ἐγκωμιάζειν: quem sic restituo. ἢ γὰρ περὶ τὴν ἐκφορὰν τῶν τετελευτηκότων αἱ τιμαὶ γίνονται· ἢ περὶ τὰ νομιζόμενα, καὶ τὰ μνήματα, καὶ τοὺς τάφους. περὶ μὲν δὴ τὴν ἐκφορὰν, ὡς τὸ Ἀθήνησι, πρὸ ἡλίου ἀνίσχοντος· καὶ Θουρίοις, νύκτωρ. ἡ πρόθεσις ἢ προθέσεως ἡμέρα, τακτή. ὡς τὸ Ἀθήνησι. *Aut enim circa elationem mortuorum honores fiunt; aut circa justa, monumenta, & sepulchra: circa elationem quidem, uti hoc Athenis, ante Solem orientem; & apud Thurios, noctu: collocatio quoq., & collocationis dies, constitutus, ut Athenis.* Corruptissimè hodie editur: ὡς τὸ Ἀθήνησι πότε ἡλίου ἀνίσχοντος, καὶ Θηρείοις νύκτωρ ἡ πρόθεσις ἢ προθέσεως ἡμέρα ταχθῇ. Cavit etiam, ne sepulchra violare quis auderet. Cicero, De Leg. lib. II. *De sepulcris autem, nihil est apud Solonem amplius, quàm, ne quis ea deleat, neve alienum inferat: pœna est, si quis bustum, (nam id puto appellari τύμβον) aut monumentum, inquit, aut columnam violarit, dejecerit, fregerit.* Quod si quis in corpus inhumatum incideret, ei justa quodammodo, injectâ glebâ, facere jubebat. Ælianus, Hist. Anim. lib. II. cap. XLII. *Hominis cadaver accipiter conspicatus, ut ferunt, omnino terram insepulto injicit. neq. tamen illum hoc Solon, ut Athenienses, facere jussit.* Meminit hujus legis, etsi nullâ Solonis mentione, etiam Var. Hist. lib. V. cap. XIV. *Etiam hæc lex erat Attica; ut, si quis in cadaver hominis insepultum incidisset, omnino terram ipsi injiceret.* Acrespexisse hanc legem videtur Valerius Maximus, lib. V. cap. III. *Phocion certè, post obitum, nullam Atticæ regionis, quæ ossibus*

sibus ejus injiceretur, glebulam invenit: jussus extra fines projici, intra quos optimus civis vixerat. Quod si legem aliquis novam ferre vellet, statuit, si quæ, prius lata, adversa esset, ea ut abrogaretur, antequam illa promulgaretur. Demosthenes, in Leptinem. *Nec horum quicquam nostrum est, nuper à nobis excogitatum: sed antiqua lex, quam ille violat, sic leges ferre jubet. Primùm, si qva recepta lex mala videatur, eam ut accuset: deinde, illâ abrogatâ, ut ipse aliam substituat; vos verò potiorem præferatis. Nec enim Solon, à quo hac ferendarum legum ratio proposita est, Sexviros &c.* Ac mox plenius totam rationem exponit, istis verbis. *Intelligitis, Athenienses, quo pacto, & quàm praclarè leges ferre Solon jubeat. Primùm, apud vos, qui jurati estis, apud quos etiam alia confirmantur. Deinde, contrarijs legibus abrogatis, ut singulis de rebus sint; neq; homines imperitos id turbet, & efficiat, ut deteriore conditione sint, quàm qui universas sibi cognitas, & perspectas, habent; sed ut jura simplicia, & perspicua, legere, & intelligere, liceat omnibus. Quin etiam ante hæc jussit ante statuas heroum, à quibus cognominatæ tribus sunt, proponere, & Scribæ tradere, qui eas in concionibus legeret: ut unusquisq; vestrum sæpe audita, & per otium considerata, ea quæ justa essent, & utilia, suis suffragijs comprobaret.* Quod autem leges ferrentur apud juratos, eosq; numero quingentos, dein proponerentur etiam apud heroas, à quibus cognominatæ tribus, ut ab omnibus ad examen vocarentur, discimus quoq; ex Andocide, qui hoc addit; postquam approbatæ essent, iterum inscriptas muro, apud heroas cognomines, & propositas fuisse in conspectum quorumcunq;: ac mandatum Areopagitico senatui, ut deinceps ijs latis uterentur. Verba Andocidis, quæ hoc docent, extant in Oratione, De Misterijs. *Tisamenus censuit, ut Athenienses more patrio remp. gubernarent; legibus*

bat, undecimviri eum correptum vinciunto, & in Heliaam introducunto: accuset autem, ex his quibus id licet, quicunq; voluerit. ac, si fuerit damnatus, æstimato Heliæa, quod supplicium, aut quæ mulcta, irrogari ipsi debeat. quod si mulcta indicta fuerit, in vinculis retineatur, donec solverit. Viris item quibuscunq; ungventariam exercere interdixit. Athenæus, lib. XIII. *Pulcher equidem beatitudinis finis Philosopho ars ungventaria, & conveniens Philosophiæ Socratis; qui ungventorum usum ejusmodi improbavit: cum & legislator Solon neq; viro artem talem exercere permittat.* Et iterum, lib. XV. *Et Solon sapiens legibus vetuit viros ungventa vendere.* Infamiæ insuper exemit, qui notati, ante ipsum archontem, eâ fuerant; exceptis ijs, qui homicidij, latrocinij, aut regni affectati ergo, condemnati, solum verterant. Plutarchus: *Decimus tertius verò axis Solonis octavam legem habet, ita ad verbum scriptam: Qui ante Solonem Archontem infamiâ notati fuerunt, integrâ famâ sunto; præterquam qui ab Areopago, Ephetisve, aut regibus in Prytaneo, ob homicidium, latrocinium, aut regnum etiam affectatum, exularent, cum hæc lex promulgaretur.* Judices quoque jurejurando obstrinxit, se utramque partem æquali benignitate audituros. Demosth. Orat. de Coronâ. *Hoc (opto) ut Dij vobis in animum inducant, ne adversarium, quo ego pacto sim audiendus, in consilium adhibeatis; (nam id quidem iniqvum fuerit,) sed leges, & jusjurandum: quo illud etiam, præter cætera, quæ plena sunt æquitatis omnia, continetur eadem ratione utrumq; esse audiendum, quæ verba non hoc volunt, nullum præjudicium esse afferendum, aut par utrique studium præstandum: sed illud etiam, eum reo cuiq; defensionis ordinem, quem ipse voluit, ac delegit, esse permittendum.* Et, hanc esse Solonis legem, in sequentibus clarè dicit. *Jam cum hæres in hoc judicio agantur, peto, & oro vos omnes, pariter, ut me audia-*

audiatis crimina justè refutantem, ut jubent leges; quas qui principio tulit Solon, vir vestri amans, ac popularis, non sanctione tantùm, sed judicum etiam jurejurando, firmandas esse censuit: non quod vobis, ut mihi quidem persvadeo, diffideret, sed quia videbat criminationes, & calumnias, quibus accusator, ob priorem dicendi locum, pollet, reo evitare non licere, nisi quisq; vestrum, qui pro tribunali sedetis, Deorum immortalium religione servatâ, etiam posteriore loco dicentis excusationes benignè admitteret: sicq; æqvum, ac communem, utriq; auditorem praebendo, sic de tota controversia sententiam ferret. Libanius, Declam. XXIX. *Hæc enim cum penitus perspecta Solon haberet, & conferet, è litigantibus alios apud amicos judicantes causam dicturos, alios autem apud infestos: ne jus ulla ex parte læderetur, jusjurandum constituit, quod non permittit, gratiam, aut simultatem, aut alium prætextum iniqvum, judicio obstare.* Lucianus, De non temerè credendo calumniæ. *Ea sane extrema est injuria, vel optimorum legumlatorum judicio, Solonis, & Draconis; qui jurejurando judices obstrinxere, ut pari benignitate, gratiâq;, tam reum, quam actorem, judex audiat, dum, postquam alter quoq; causam dixerit, utrius causa melior peiorve existat, constare possit: scelestum enim, & impium, judicium esse, si quid statuatur, priusqvàm cum accusatione comparata sit defensio.* Ut autem judicibus legem judicandi posuit, sic orandi oratoribus. Æschines, in Ctesiphontem: *Vellem autem, Athenienses, etiam leges, quas de Oratorum disciplinâ tulit Solon, observari: ut liceret primùm natu maximo civium cuiq;, ut leges jubent, suggestu modeste conscenso, sine tumultu, & perturbatione, ex usu rerum optima quaq; reip suadere. deinde, jam cuivis civium, pro ætate, seorsim, & per vices, de unaquaq; re pronunciare.* Neq; civem quemquam alibi, quam Athenis, judicâri permittebat. Libanius, Declam. XIII. *Cum quidam A-*

thenienſium, qui àſtabat, diceret mihi; veniſſe quempiam, eorum aliquem, qui iſthic eſſent, abducturum; non id quidem certè, inquam, me vivente. accedens enim, leges Solonis recitabo, quæ Athenienſem Athenis judicandum eſſe ſtatuunt. Porrò ſanxit, ne ad conſilia, aut magiſtratum obeundum, juvenes adhiberentur, quanquam prudentiâ valere viderentur. Juncus, lib. De Senectute, apud Stobæum, Serm. CXII. *Atqui fuerit mihi teſtis illorum, quæ dico, Solon Athenienſis; qui lege ſanxit, ne quis magiſtratum gerat admodum juvenis, neu ad conſultationes admittatur, quamvis prudentiſſimus eſſe videretur.* Deniq; populo etiam tarda; magiſtratui, aliisq;, in dignitate inter populum conſtitutis, velocia ſupplicia ſtatuit. Demoſthenes, in Ariſtogitonem, Orat. II. *Quapropter & Solon tarda plebeiis; magiſtratibus, populiq; gubernatoribus, veloces conſtituit pœnas; quod exiſtimabat, de illis, quovis tempore ſupplicium ſumi poſſe; hos, moram ultionis non permittere.* Sed inter tot leges, nullam de Diis, aut eorum cultu, tulit. Maximus Tyrius, Diſſert. XXXIX. *Ac, quid Deus quidem, aut quomodo colendus? nec enim hæc curant mille illi judices, fabâ lecti; neq; Solon de his quicquam omnino ſtatuit; nec Draconis venerandæ illæ leges. Sed in jus vocare, accuſare, deferre, rationem facti exposcere, calumniæ juramentum exigere, aut præſtare, & quæcunq; iſtiusmodi, hæc ſunt illa, quæ in Heliaâ aguntur.* Sine dubio, quia non putavit fore, ut in Deum impius quiſquam inveniretur. Ita neq; in parricidas leges tulit; cujus rei quando cauſam rogaretur: Non ſperaſſe ſe, reſpondit, quemquam ſcelus id auſurum. Cicero, in Orat. pro S. Roſcio Amerino. *Prudentiſſima civitas Athenienſium, dum ea rerum potita eſt, fuiſſe traditur. ejus porro civitatis ſapientiſſimum civem Solonem fuiſſe dicunt; eum, qui leges, quibus hodie quoq; utuntur, ſcripſerit. Is, cùm interrogaretur, cur nullum ſupplicium* con-

constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit: se id neminem facturum putasse. Sapienter fecisse dicitur, cum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat: ne non tam prohibere, quam admonere, videretur. Quem locum respexit B. Hieronymus, Epist. CLI. *Et Tullius de parricidarum suppliciis apud Athenienses Solonem scripsisse negat: ne non tam prohibere, quam admonere, videretur.* Diogenes Laertius, in ejus vitâ. *Interrogatus, (Solon,) quare contra parricidam legem non tulisset: respondit, quod hoc scelus non sperasset patratum iri.* Sopater, in Hermogenem. *Et Solon, interrogatus, cur legem nullam in parricidam scripsisset, respondit; non se credere, posse hoc naturam committere.* Paulus Diaconus, de Publicio Malleolo agens, matris suæ interfectore, Hist. Misc. lib. V. *Impleveruntq; Romani & facinus, & pœnam; unde & Solon Atheniensis decernere non ausus fuerat, dum fieri non posse credidit.* Quæ totidem quoq; verbis Orosius, lib. V. cap. XVI.

CAP. XXIII.

Leges ejus celeberrimæ. Menander Rhetor emendatus. Romani eas per legatos etiam ad se transtulerunt: & suarum quoq; legum exemplum eas esse voluit Hadrianus Imperator.

CErtè leges ejus multò celeberrimæ fuere; & earum quoque nomine à quam plurimis ipse passim memoratur. Tacitus illas, tanquam exquisitas, prædicat, Annal. III. *Vetustissimi mortalium, nullâ adhuc malâ libidine, sine probro, scelere, eoq; sine pœnâ, aut coercitionibus, agebant. neq; præmiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur: &, ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At post-*

quam exui æqualitas, & pro modestiâ, ac pudore, ambitio, ac vis, incedebat, provenere dominationes: multosq; apud populos æternum mansere. Quidam statim, aut postquam regum pertæsum, leges maluerunt. Hæ primò, rudibus hominum animis, simplices erant. maximeq; fama celebravit Cretensium, quas Minos; Spartanorum, quas Lycurgus; ac mox Atheniensibus quæsitiores jam, & plures, Solon perscripsit. Plato, De Rep. lib. X. *Dic Sodes, nobis; ecqua resp. per te sit rectius constituta, quemadmodum per Lycurgum Lacedæmon; & per alios multos multæ, magnæ pariter, ac parvæ? Eccujus verò civitatis homines bonum te legislatorem agnoscent, atq; ipsis profuisse? Charondam quidem, Italia, & Sicilia, celebrant; nos, Solonem: te verò ecqua, & qualem, agnoscet civitas?* Menander Rhetor, cap. cui titulus, Διαίρεσις βασιλικοῦ, per occasionem istam emendandus. Εἰ ἔδει νῦν νομοθετεῖν, ἐνομοθέτησεν ἂν τῷ κοινῷ γένει τῶν ἀνθρώπων· ὥσπερ τὸ παλαιὸν ἡ τῶν Λακεδαιμονίων, καὶ Ἀθηναίων, ταῖς ἄλλαις· ποῦ μὲν γὰρ Σόλωνες πλείους τῶν παρ᾽ ἡμῖν; ποῦ δὲ Λυκοῦργος βελτίων; ποῦ δὲ Μίνως, καὶ Ραδάμανθυς, οἱ τῶν Κρητῶν νομοθέται; *Si nunc leges ferre oportuisset, communi sane hominum generi leges tulisset: quemadmodum olim Lacedæmoniorum, & Atheniensium, urbes, cæteris Græcis. Ubi enim plures, quam apud nós, Solones reperiuntur? ubi melior Lycurgus? ubi Minos, & Rhadamanthus, Cretensium legislatores?* Corruptum est, quod hodie editur, οἱ τῶν Κελτῶν νομοθέται: unde malè etiam vertit interpres ejus, ut multa alia, *Judicum legislatores.* Hinc Libani in Argyrippum locus, apud Plautum, in Asinariâ, Act. III, Sc. III,

—— —— nunc enim hic est
Negotiosus interdius. videlicet Solon est,
Leges ut conscribat, quibus se populus teneat gerræ.

Procopius Sophista, in Epistola qvadam, ad Zachariam.

Ecce autem tibi, etiam superbum tueor: ac planè Spartiata factus sum. & qvidlibet mihi est Lycurgus, Solon nihil. Athanasius, in Orat. contra Gentes. *Et leges qvidem (invenit) Lycurgus Spartanus, ac Solon Atheniensis.* Et hinc est, quod *Justum* eum appellavit Manilius, lib. I.

Qviq; animi vires, & strictas pondere mentes,
Prudentes habuere viri; qvibus omnis in ipsis
Census erat: justusq; Solon, fortisq; Lycurgus.

In ipsarum autem legum laudem est insignis locus Manuelis Palæologi, in Protrepitco, ad doctrinam. *Erat hic Atheniensis ille legislator, Solon dictus, qvem homines admirabantur Athenis; qvæ plenæ id temporis erant viris admirandis; non qvod auro abundaret, atq; id suppeditaret (neq; enim multum ipsi istud erat, neq; in pretio ullo argentum reputabat, nisi rectè colligeretur, melius expenderetur, & utrumq; oportunè etiam fieret) sed, qvod præter alia multa præclaraq; facta, quæ præcesserant, leges bonas civibus omnino bonas tulerit. Tantopere verò præstiterunt priscis legibus eæ, qvæ ab ipso conditæ, qvanti venit æstimandum, qvod postremæ illæ fuerint, & civitati semper manserint. Nam visæ sunt illis, qvibus latæ erant, publicis ipsorum ornamentis, qvanqvam ea civitatum aliarum ornamenta superarent, longè sanè illustriores: ipsâq; arce, qvam munitiorem cæteris, qvæ ubiq; terrarum essent, existimabant, insigniter munitiores: longo deniq; intervallo rebus ipsis, qvibus sese efferebant, meliores.* Ac tanta earum fama fuit, ut Romani, cum suas sibi condere vellent, ablegârint, qvi Athenis has deferrent. Livius lib. III. *Cum de legibus conveniret, de latore tantum discreparet, missi legati Athenas Sp. Postumius Albus, A. Manlius, P. Sulpitius Camerinus, jussiq; inclytas leges Solonis describere.* Aurelius Victor, De viris illustribus, cap. XXI. *Populus Romanus,*

cum seditiosos magistratus ferre non posset, decemviros legibus scribendis creavit: qui eas, ex libris Solonis translatas, duodecim tabulis exposuerunt. Augustinus, De Civitate Dei, lib. II. cap. XVI. *Si autem à Dijs suis Romani vivendi leges accipere potuissent, non aliquot annos post Romam conditam ab Atheniensibus mutuarentur leges Solonis.* Paulus Diaconus, Hist. Misc lib. I. *Legati ad Athenienses, propter leges Solonis describendas, missi.* Hinc est, quod Ammianus ait, lib. XXII. *Solon, sententijs adjutus Ægypti sacerdotum, latis justo moderamine legibus, Romano quoq; juri maximum addidit firmamentum.* Quin & postea Hadrianum Imp. petentibus leges Atheniensibus, ad exemplum quoq; harum eas condidisse, auctor est Marianus, in Chronico, in anno Imperij ejus VI. *Hadrianus Atheniensibus, leges petentibus ex Draconis, & Solonis, reliquorumq; libris, jura composuit.* Nicephorus Callistus, Hist. Eccles. lib. III. cap. XXIV. *Leges quoq; (Hadrianus Imperator) ad Draconis, & Solonis, Atheniensium legislatorum, imitationem promulgat.*

CAP. XXIV.

Ad auctoritatem legum conservandam, centum annorum tempus postulat: judicesq;, & Thesmothetas, jurejurando obstringit. In axibus, & cyrbibus, eædem scriptæ: ac discrimen utrorumq;. Etymologici Auctor, & Suidas, emendati. In arce prius constitutæ; hinc deductæ in Prytaneum, atq; forum, ab Ephialte. Axes, & quæ in iis leges, numero suo distinctæ: ac quomodo scriptæ fuerint. Variè citantur apud Auctores. Didymi de iis Opus, & fragmentum: ac Seleuci in eosdem Commentarius. Notæ in iis numerorum, quibus usus Solon fuerit.

rit. Nicomachus, ad leges describendas constitutus, dato quadrimestri tempore, in sexennium id extendit, & has corrupit.

ATq; has quidem, ita latas, valere in centum annos jussit Plutarchus. Ἰσχὺν δὲ τοῖς νόμοις πᾶσιν εἰς ἑκατὸν ἐνιαυτοὺς ἔδωκε. *Robur verò legibus omnibus dedit in annos centum.* Ac Senatus quidem, communi juramento se obstrinxit, eas sese firmaturum: & privato Thesmothetæ, si quam illarum violassent, auream se Delphis statuam, ejusdem secum magnitudinis, mulctæ vicem dicaturos. Plutarchus: *Senatus autem, stabilituros se Solonis leges, commune jusjurandum dederunt: privatim verò Thesmothetarum unusquisq;, in foro juxta lapidem; si quam legem violassent, auream se statuam, paris magnitudinis, Delphis dedicaturos esse.* Hoc est, quod dicit A. Gellius, lib. II. cap. XII. *In legibus Solonis illis antiquissimis, quæ Athenis axibus ligneis incisæ sunt, quasq; latas ab eo Athenienses, ut sempiternæ manerent, pœnis, & religionibus, sanxerant.* Meminit Thesmothetarum juramenti etiam Pollux, lib. VIII. cap. IX. Sect. I. Ac fortasse illud ipsum jusjurandum est, quod præstari per tres Deos consuevisse, tradit Hesychius. Τρεῖς θεοί. Παρὰ Σόλωνι, ἐν τοῖς ἄξοσιν, ὅρκος τέτακται. *Tres Dij: apud Solonem, in axibus, jusjurandum constitutum.* Pollux lib. VIII. c. XII. Τρεῖς θεοὺς ὀμνύναι κελεύει Σόλων, Ἱκέσιον, Καθάρσιον, ἐξακεστήριον. *Tres Deos jurare jubet Solon; Supplicem, Expiatorium, Depulsorium.* Scriptæ verò eæ erant in axibus ligneis, sicut in citatis statim Gellij verbis animadvertimus; ijque axes erant tabulæ quadratæ, ac longiores: & Ἄξονες partim, partim Κύρβεις dicebantur: ac Κύρβεις quidem, quæ de sacris, sacrificijsq;, essent: Ἄξονες verò, in quibus cælere leges scriptæ. Plutarchus, Καὶ κατεγράφησαν (οἱ τοῦ Σόλωνος νόμοι) εἰς ξυλίνους ἄξονας,

ἐν

ἐν πλαισίοις περιέχουσι στρεφομένοις· ὧν ἔτι καθ' ἡμᾶς ἐν Πρυτανείῳ λείψανα μικρὰ διεσώζετο. καὶ προσηγορεύθησαν, ὡς Ἀριστοτέλης φησὶ, κύρβεις. ἔνιοι δὲ φασιν ἰδίως, ἐν οἷς ἱερὰ, καὶ θυσίαι, περιέχονται, κύρβεις· ἄξονας δὲ, τοὺς ἄλλους ὠνομάσθαι. *Relatæ verò fuerunt (Solonis leges) in axes ligneos, qvi vertebantur in lignis oblongis: eorumq; in Pritaneo adhuc nostro tempore reliqviæ parvæ asservabantur. Appellabantur autem, ut Aristoteles ait, Cyrbes. nonnulli verò dicunt, propriè Cyrbes appellatas, qvibus sacra, ac sacrificia, continerentur: Axes verò, cæteros appellatos fuisse.* De axibus, manifestum est; & mox porrò ostendemus: de cyrbibus verò, quod de sacris, sacrificijsq;, leges continuerint, clarè liquet etiam apud Athenæum, lib. VI: ubi illa verba occurrunt: *In Cyrbibus verò, quæ de Deliastis, ita scriptum est: Et præcones duo, è familia Cerycum, mysterijs propriis, hi verò per annum integrum in Apollinis Delij templo parasitorum munus obeant.* Porrò discrimen illud repræsentat etiam Ammonius, De Diff. Voc. *Axes, & Cyrbes, differunt: nam Axes qvidem, qvadrati erant: Cyrbes verò, triqvetri. Et Axes, leges privatas continebant. Cyrbes, publica sacrificia, & qvæ alia istiusmodi.* Ubi istud quoq; observa; Axes, quadratos fuisse; Cyrbes verò, triquetros. Hoc ipsum tradit etiam Thomas Magister, in Collectione Dict. Attic. *Axes, qvi qvadrati erant, leges privatas inscriptas habebant: Cyrbes verò triangulares, leges publicas, & sacrificia continebant.* Ergo duplices legum Solonis tabulæ erant; illæ, quadratæ, in quibus leges privatæ habebantur, Axes dictæ: istæ, triquetræ, in quibus leges publicæ, ac de sacrificijs, Cyrbes appellatæ. Et Axes quidem, è ligno erant; ita alti, ut è terra usq; ad tectum pertingerent: atq; sic nuncupabantur, quod quemadmodum axes curruum, verti possent. Etymologici Auctor. *Axes, ligna erant qvadrata, à solo usq; ad tectum pertingentia,*

gentia, quæ in fibula quadam circumagebantur, in quibus Solonis leges scribebantur, tabulisq; , ut axes curruum, vertebantur. Ligneos fuisse, ac quadratos, etiam docet Harpocration. Οἱ Σόλωνος νόμοι ξυλίνοις ἦσαν ἄξοσι γεγραμμένοι. ἦσαν δὲ, ὥς φησι Πολέμων, ἐν τοῖς πρὸς Ἐρατοσθένην, τετράγωνοι τὸ σχῆμα. Videndus quoq; Suidas, & Scholiastes Aristophanis, ad Nebulas, & Aves: item Apollonij, lib. IV. Cyrbes verò, è lapide erant, sicuti è ligno axes. Harpocration. *Cyrbes verò, ait Apollodorus, in libris, De Dijs, habere inscriptas leges: esse verò eas, lapides rectos stantes.* Originem nominis tradit Suidas. Κύρβιες, αἱ τὰς τῶν θεῶν ἑορτὰς ἔχουσαι· κρύβιές τινες οὖσαι, ἐν αἷς τὰ τῶν θεῶν ἀποκρυπτόμενα ἔδει εἶναι. Ἀσκληπιάδης, ὅτι ἀπὸ Κύρβιος, τοῦ τὰς οὐσίας ὁρίσαντος, ὥς φησι Φανίας ὁ Ἐφέσιος. ἢ, ἀπὸ τοῦ ταῦτα κυρωθῆναι τοῖς γράμμασι. Ἐρατοσθένης δὲ, τριγώνους αὐτὰς φησὶν εἶναι· Ἀριστοφάνης δὲ, ὁμοίας εἶναι φησὶ τοῖς ἄξοσι, πλὴν ὅτι οἱ μὲν ἄξονες νόμους, αἱ δὲ κύρβεις οὐσίας εἶχον. *Cyrbes, quæ Deorum festa continebant; κρύβιες quædam existentes, in quibus res divinas occultatas esse oporteret. Asclepiades tradit, dictas à quodam Cyrbi, qui facultates definiverat, ut auctor est Phanias Ephesius; vel, quod literis firmarentur. Eratosthenes verò, triangulas fuisse tradit; Aristophanes autem, axibus similes commemorat: nisi quod Axes quidem, leges; Cyrbes verò, facultates continerent.* Sed corruptum locum censeo; & initio; τοῦ τὰς θυσίας ὁρίσαντος, *qui sacrificia definiverat*, & in fine, αἱ δὲ κύρβεις, θυσίας εἶχον, *cyrbes verò, sacrificia continebant:* legendum esse. eoq; modo laborat etiam Etymologici magni Auctor, in hac voce, itidem restituendus. Ac firmant emendationem meam validè verba Plutarchi. Ἔνιοι δέ φασιν ἰδίως, ἐν οἷς ἱερὰ, καὶ θυσίαι, περιέχονται, κύρβεις. Alij volunt, ἀπὸ τοῦ κεκορυφῶσθαι dictas esse: alij, à corybantibus, quorum eæ inventum erant. Scholiastes Comici, Avibus. Κύρβιες, ἤτοι παρὰ τὸ κεκορυ-

φῶσθαι εἰς ὕψος ἀνατεταμένον. ἢ ἀπὸ τῶν Κορυβάντων· ἐκείνων γὰρ εὕρημα, ὥς φησι Θεόπομπος, ἐν τῷ περὶ εὐσεβείας. Idem dicit eodem loco, ex ære fuiſſe; non, quod alij, è lapide. Κύρβεις, χαλκαῖ σανίδες, ἐν αἷς τοὺς νόμους γράφουσι. *Cyrbes, ænea tabulæ, in qvibus leges perſcribunt.* Ita axes æneos, fuiſſe Pollux nobis refert, quos è ligno alij dicunt, lib. VIII. cap. X. *Axes verò, quadrati, ænei erant.* Heſychius confundit, & axem, cum Cyrbi eundem facit. *Cyrbis, columna triqvetra, ſive ligneus axis, in quo olim leges ſcribebantur.* Ecce, clare nullam inter axem & cyrbim, differentiam conſtituit: quin triangularem quoq; axem dicit, quem quadratum alij omnes. & profectò hanc figuram referebat, cum ita ſtatueretur, ut, occultato quarto angulo, tres duntaxat præ ſe ferret. Atq; hoc eſt, quod dicit Harpocration: Ποιῶσι δ' ἐνίοτε (οἱ ἄξονες) φαίνεσθαι τρίγωνον, ἐὰν ἐπὶ τὸ στενὸν κλιθῶσι τῆς γωνίας. Certè cyrbes triangulares fuiſſe, præter Auctores jam citatos, etiam Zenobius dicit, Cent. IV. Proverb. LXXVII. Ligneas quoq;, ut Heſychius; non lapideas, ſicut alij, facit Diogenianus, Cent. V. Prover. LXXII. Pariter verò axes, ac cyrbes, olim in arce aſſervabantur: poſtea in Prytaneum, & forum, deduxerunt, ut cuivis inſpicere liceret. Pollux lib. VIII. cap. X. *Cyrbes verò, atq; axes, olim in arce poſiti erant: poſtea verò, uti omnibus copia eorum eſſet, in Prytaneum, & forum ſunt deducti.* Verùm iſthic diſtinguendum, nam in regiam porticum, quæ foro adjacebat, cyrbes deducti: axes autem, in Prytaneum. De cyrbibus, eſt iſte Ariſtotelis locus, è lib. De rep. Athenienſium, apud Harpocrationem. *Cum leges in cyrbibus deſcripſiſſent, in porticu regia collocarant.* Quæ habes quoq; apud Suidam. De axibus in Prytaneum poſt delatis, indicat nobis Harpocration. *Aſſervantur verò (axes) in Prytaneo.* Et Pauſanias, in Atticis: *In propinquo Prytaneum eſt: in quo & Solonis leges ſcrip-*

ta extant, & Dearum ſimulachra, Pacis ac Veſtæ. Huc pertinet, quod Plutarchus ait: etiam ſuo tempore axium reliquias illic parvas quasdam extitiſſe. *Et ſcriptæ ſunt (Solonis leges) in ligneis axibus, quorum adhuc noſtro tempore exiguæ reliquiæ ſervabantur.* Facta autem hæc axium cyrbiumq; deductio ex arce in curiam Prytaneum, & porticum regiam in foro, ab Ephialte. Id nos docet ex Anaximenis Philippicis Didymus, apud Harpocrationem, in ὁ κάτωθεν νόμος, iſtis verbis. *Axes, & cyrbes, de ſuperiore loco, ex arce, in curiam, & forum, tranſtulit Ephialtes.* Illum ipſum Didymi locum repræſentat etiam Suidas. Erant porrò axes illi numero ſuo diſtincti. Ita prim⁹ nominatur, à Plutarcho. *Et primus axis eſt, hanc legem continens.* Etiam Decimustertius. Idem auctor, paullò ante. *Decimustertius enim axis Solonis, octavam legem habet, in hunc modum.* Deinde quoq; decimus ſextus. Ἃς γὰρ ἐν τῷ ἑκκαιδεκάτῳ τῶν ἀξόνων ἐκλέκτων τιμὰς τῶν ἐκκρίτων ἱερείων, εἰκὸς μὲν εἶναι πολλαπλασίας. *Quæ enim in decimoſexto axe ſelectarum hoſtiarum præfinit pretia, ea multò majora exiſtere, conſentaneum eſt.* Ac veluti axes numero ſuo diſtincti, ita quoq; leges erant. Clarum illud ex Plutarchi verbis iſtis, quæ de axe decimotertio jam prolata. Scriptæ verò ita erant, ut à bubus aratoribus ſulci duci conſueverunt: quod βουστροφηδὸν γράφειν dicunt. Didymus, in fragmento inſigni, quod à Suida, & Harpocratione, nobis exhibetur. Διὰ τὸ σχῆμα τῆς ἐν τοῖς ἄξοσι γραφῆς, βουστροφηδὸν γεγραμμένης, τὸν ἀπὸ τῶν εὐωνύμων ἀρχόμενον, κάτωθεν ὀνομάζει ὁ Δημοσθένης· ὅτι γὰρ βουστροφηδὸν ἦσαν οἱ ἄξονες, καὶ οἱ κύρβεις, γεγραμμένοι, δεδήλωκεν Εὐφορίων, ἐν τῷ Ἀπολλοδώρῳ. *Propter figuram ſcriptionis in axibus, boum more in ſulcis ducendis ſe vertentium inſtitutæ, legem, à ſiniſtra parte incipientem, inferiorem vocat Demoſthenes. quod verò in axibus, cyrbibusq́, ſcriptura iſtiusmodi eſſet, manifeſtum Euphorion nobis*

fecit,

fecit, in Apollodoro. Et citantur quoq; axes ab Auctoribus Demosthenes, in Aristocratem. *Homicidas licere occidere in nostro territorio, & in carcerem abducere, ut in axe promulgat.* Lucianus, in Eunucho. *Alioqui mentiuntur, qvi dicunt: eum in adulterio deprehensum, ut axis inqvit, membra in membris habentem.* Stephanus, in Ἀγνοῦς. *Et in loco, Agnunte, in axibus: Qvandoquidem Agnunte sacrificium est populo.* Hesychius, in πεσπλόρθια. *In axibus vocabulum extat.* Et in Τρεῖς θεοί. *Apud Solonem, in axibus, jusjurandum constitutum est.* Appendix Vaticana Proverbiorum Andreæ Schotti, Cent. I Proverb. XXIV. *Lex enim in axibus fimi quoq; fures punit.* Videndi quoque Suidas, & Harpocration, in Σῖτος: quorum loca emendavi Atticarum lectionum lib. I cap XXII. Ex ijsdem est, quanquam nulla plane eorum mentio fiat, quod Pollux citat, lib. I. cap. I. sect. XXVI. *Solon verò mutila quæ essent, etiam ἀφελῆ nuncupavit.* Lib. III. cap. III. sect. IV. *Demosthenes verò, τῆς αἰσχιότητος dixit: & Solon.* Et cap. III sequenti, sect. III. *Isæus verò, πεικληρ...: ut etiam Solon.* Lib. V. cap. IV. *Solon verò, στιχάδας qvoq; oleas quasdam dixit; opponens eas illis, qvæ μορίαι dicebantur: forte intelligens qvæ ordine plantatæ essent.* Lib. VI. cap. XXXVII. sect. I. *Apud Solonem ὁμοεργεῖς ponitur pro duro,* Lib. VII. cap. XXXII. *Terra verò ἐπίμοργος dicitur apud Solonem, qvæ ex parte tantum culta est.* Deniq; lib. VIII. cap. VI. *Solon qvidem furtum in legibus κλέπος appellavit.* Ita etiam, quæ citantur ab Hesychio, in Ἀγχιστίνδην, Βείνειν, & Τέρχνια. Et Lysias, in Theomnestum, Orat. I. varia vocabula profert, inde petita: ποδοκάκη, ἐπιορκήσαντα, Δρασκάζειν, Ἀπίλλειν, πάσιμον, Πεφασμένως, Πωλεῖσθαι, & Οἰκῆος. Didymus deniq; proprium de ijs opus scripsit, ad Asclepiadem: quod Plutarchus, in principio statim ipso hujus vitæ, sic commemorat. *Didymus Gram-*

Grammaticus, in rescripto De axibus Solonis ad Asclepiadem, à Philocle qvodam dici refert, Solonem patre Euphorione natum esse. Ac, si quid judico, ex hoc Opere sine dubio est fragmentum, quod à Suida, & Harpocratione, in ὁ κάτωθεν νόμος, in hunc modum exhibetur. *Aut Heliæam dicit, quod tribunalium alia qvidem superiora, alia verò inferiora vocarentur. aut, propter figuram scripturæ in axibus, boum sese in arando convertentium instar scriptæ, legem à sinistra parte incipientem, Demosthenes inferiorem vocat. quod verò axes, atq; cyrbes, eum in modum scripti essent; declaravit Euphorion, in Apollodoro. aut, quia axes, atq; cyrbes, de superiore loco ex arce in curiam, & forum, transtulit Ephialtes: ut auctor est Anaximenes, in Opere De Philippo.* Scripsit porrò Commentarium in Solonis istos Axes Seleucus. Suidas, in Ὀργεῶνες. *Seleucus verò, in Commentario in Solonis Axes, ait vocari Orgeonem, qui in honorem heroum quorundam, aut Deorum, conveniant.* Porrò neq; illud hic prætereundum; in his legibus multas pecuniarias antiquis numerorum notis expressas fuisse. Indicat Herodianus, in tractatu, De numerorum notis. *Præterea ex notarum genere dicat quispiam etiam eas (literas) esse, quæ numeri notæ sunt. Nam has & in scriptionibus librorum videmus in fine scribi: & apud Solonem quoq;, qui Atheniensium leges conscripsit, pecuniarias mulctas iisdem video literis notatas.* Quales vero eæ notæ fuerint, ipsæ postea valde accuratè exponit, multis verbis; uti etiam Priscianus, De fig. & nom. numerorum: ac, quantumvis breviter tantùm, Velius Longus, lib. De Orthographia. Illud quoq; hic addendum, quod Nicomacho, cui injunctum à rep. ut describeret, tempus ad id quadrimestre datum fuerit; quanquam ille ad sexennium id extenderit; varieq; eas tunc interpolaverit, ac corruperit, pretio accepto. In hanc rem est Lysiæ Oratio XXIX.

in qua ista alibi verba. *Posteaquam verò legum scriba (Nicomachus) factus est, quis nescit, quantum resp. nocuerit? constituit enim ipsi quatuor mensibus, ut Solonis leges describeret, ipse se Solonis loco pro legislatore gessit; ac, pro quatuor mensibus, sex annorum magistratum eum fecit. quotidie autem accepto pretio leges illas inscribebat, has delebat; eoq; redacti fuimus, ut ex ejus manibus, leges acciperemus: partesq; adversæ in judicio diversas producerent leges, quas se à Nicomacho accepisse affirmabant.* Ac de corruptis ab eo legibus, iterum postea ita ait: *Vobis in mari periclitantibus, ipse, hic manens, leges Solonis corrumpebat.*

CAP. XXV.

Dierum à vicesimo mensis numerationem mutat; ac tricesimum, ἕνην καὶ νέαν: primùm, νουμηνίαν appellat. Archontes novem, ut unum in locum convenirent, ad dicendas ibi sententias, instituit. Homeri poemata alternatim cani præcipit; item aciem ad tibiam, & lyram, instruere: in Prytaneo victum habentibus cibum ordinat: meretrices emtas juvenibus prostituit, & Veneris Vulgaris templum ex pecunia meritoriâ dedicat. Inde, obstrictis prius civibus juramento in leges suas, in decem annos, ultrò in exilium abit.

DEinde instituit, ut tricesimus mensis dies ἕνη καὶ νέα diceretur: & ut archontes, qui seorsim magistratum exercebant, uno in loco, collatis sententijs, jus dicerent. Diogenes Laertius: *Primus autem Solon tricesimum mensis diem ἕνην καὶ νέαν appellavit; & primus novem archontum congregationem, ad sententijs communicatis jus dicendum, instituit: uti auctor est Apollodorus, lib. II. De legumlatoribus.* De tricesimi diei appellatione etiam Plutarchus tradit: qui hoc addit, primum itidem Νουμηνίαν appellasse; & à vicesimo numerationem quoq; detrahen-

hendo instituisse. *Perspecta autem mensis varietate, nec cursum Lunæ vel cum exortu Solis, vel cum occasu, prorsus congruere: verùm subinde eam solem eodem die & assequi, & prætergredi, hunc ipsum diem ἕνην καὶ νέαν, ultimam ac novam, appellare jussit: partem ejus, quæ coitum Lunæ cum Sole antecedit, desinenti; residuam, inchoanti attribuendam arbitratus. Et fuit certè primus, qui Homerum percepit, canentem;*

Hic cum desierit mensis, cum cœperit ille:

insequentem verò diem, νουμηνίαν, novilunium appellavit. A vicesimo qui sequuntur, non addendo, sed detrahendo, & resolvendo, prout lumen lunæ, quam videbat, se haberet, usq; ad tricesimum diem numeravit. Insignis est in hanc rem locus Aristophanis in Nebulis

Φ. Φοβεῖ δὲ δὴ τί; ΣΤ. τὴν ἕνην τε καὶ νέαν.
Φ. Ἕνη γάρ ἐστι καὶ νέα τις ἡμέρα;
ΣΤ. Εἰς ἥν γε θήσειν τὰ πρυτανεῖά φασί μοι
Φ. Ἀπολοῦντ' ἄρ' αὔθ' οἱ θέντες, οὐ γάρ ἐσθ' ὅπως
Μί' ἡμέρα γένοιτ' ἂν ἡμέραι δύο.
ΣΤ. Οὐκ ἂν γένοιτο. Φ. Πῶς γάρ, εἰ μή περ γ' ἅμα
Αὐτὴ γένοιτο γραῦς τε καὶ νέα γυνή;
ΣΤ. Καὶ μὴν νενόμισταί γ'. Φ. οὐ γάρ, οἶμαι, τὸν νόμον
Ἴσασιν ὀρθῶς, ὅ, τι νοεῖ. ΣΤ. νοεῖ δὲ τί;
Φ. Ὁ Σόλων ὁ παλαιὸς ἦν φιλόδημος τὴν φύσιν.
ΣΤ. Τουτὶ μὲν οὐδέπω πρὸς ἕνην τε καὶ νέαν.
Φ. Ἐκεῖνος οὖν τὴν κλῆσιν εἰς δύ' ἡμέρας
Ἔθηκεν, εἴς τε τὴν ἕνην προσέθηκεν; Φ. ἵν, ὦ μέλε,
Παρόντες οἱ φεύγοντες ἡμέρᾳ μιᾷ
Πρότερον, ἀπαλλάττοινθ' ἑκόντες· εἰ δὲ μή,
Ἕωθεν ὑπανιῷντο τῇ νουμηνίᾳ.
ΣΤ. Πῶς δ' οὐ δέχονται δῆτα τῇ νουμηνίᾳ
Ἀρχαὶ τὰ πρυτανεῖ; ἀλλ' ἕνῃ τε καὶ νέᾳ;
Φ. Ὅπερ οἱ προτένθαι γὰρ δοκοῦσί μοι παθεῖν,
Ἵν' ὡς τάχιστα τὰ πρυτανεῖ ὑφελοίατο·
Διὰ τοῦτο προὐτένθευσαν ἡμέρᾳ μιᾷ.

PH.

PH. *Quid ergo times, pater.* ST. *diem veterem, & novam.*
PH. *Quid? quasi verò una dies vetus sit, & nova.*
ST. *Certè hâc se deposituros in foro mihi*
Minantur fæneratores pecuniam.
PH. *Peribunt, si deponent: neq; enim illud potest*
Fieri, una dies ut sit biduum. ST. *quid? non potest?*
PH. *Quomodo? nisi forte una mulier simul fiet*
Anus, & juvenis. ST. *lege sic cautum est.* PH. *at hi,*
Quid lex velit, non rectè intelligunt. ST. *cedò,*
Quid ergo vult? PH. *Solon ille antiquus fuit*
Naturâ amans populi. ST. *hoc nil ad veterem, & novam.*
PH. *Atqui is citationem posuit in duos*
Dies: in veterem scilicet, & novam diem:
Vt depositiones fierent primo die:
Calendis nimirum mensis cujuslibet.
ST. *Cur autem veterem apposuit.* PH. *Ideo, fatue homo,*
Vt postulati prius uno die in forum,
Cum apparuissent, ultrò abirent: sin minus,
Ii statim ab aurorâ diei posteri
Calendis ipsis vexarentur postmodum.
ST. *Cur ergò magistratus non capiunt Sportulam*
Calendis, sed die vetere, & novâ?
Cur uno prævertunt die? PH. *certè illi idem*
Faciunt, quod prægustatores facere solent:
Nam, ut sportulas præripiant quàm celerrimè,
Idcirco nummos prægustant uno die.

De dierum computatione, sunt Diogenis Laertij ista verba: *Voluit etiam, ut Athenienses dies secundum lunam putarent.* Homeri item poemata ut alternatim à se invicem excipientibus canerentur, instituit. Diogenes Laertius. *Homeri quoq; versus, statuit, ut alternis accinerentur; ita, ut, ubi desiisset primus, inde initium alter faceret. magisq; eâ ratione Homerum Solon illustravit, quàm Pisistratus: ut Dieuchidas commemorat, libro quinto Megaricorum. Versus autem, isti potissimum erant;*

Qui verò Athenas habitabant, ——

& quæ sequuntur. Quem Diogenis locum transscripsit Suidas, in ὑποβολή. Autor quoq; fuit, ut ad tibiam, & lyram, aciem instruerent. Sextus Empiricus, Adversus Mathematicos, lib. VI. *Et qui Solonis utebantur adhortationibus, ad tibiam, ac lyram, aciem instruebant, numerosum in armis motum facientes.* Instituit etiam, ut in convivijs vinum dilutum biberent: & caupones quoq; ipsi dilutum venderent. Indicat Alexis Comicus, in Æsopo, istis versibus, qui extant apud Athenæum, lib. IX.

A. *Lepidum hoc est à vobis, ô Solon,*
Athenis dextreq; inventum.
B. *Qualenam istud?* A. *in conviviis ne bibatur*
Merum. neq; enim id facile est. siquidem vendunt
In plaustris statim dilutum.
Non quod inde lucrum captent, sed quod ementibus
Bene consultum esse velint, ut capita sana habeant
A crapulâ. ——

Nec convivijs duntaxat vinum suum ordinavit, sed & Prytaneo cibum; & constituit, ut, qui illic alebantur, mazam

in cibum acciperent; in diebus verò festis, etiam panem. Athenæus, lib. IV. *Solon verò, ijs, qui alebantur in Prytaneo, mazam præberi jubet: diebus festis, etiam panem apponi.* Ut autem matrimoniorum honestati, ac securitati, consuleret, emtas mulierculas libidini juvenum in ganeis prostituit; & ex quæstu quoq; ipsarum templum struxit Veneri τῇ πανδήμῳ, seu Vulgari, cognominatæ. Idem Athenæus, lib. XIII. *Et Philemon in Delphis narrat insuper, quod primus Solon, propter juvenes ætate vigentes; mulieres emtas prostitueri in ganeis: quemadmodum item Nicander Colophonius refert, Colophoniacorum libro tertio, dicens, ipsum quoq;, ex eo quæstu, quem fecissent illæ suæ meretrices in prostibulis, Veneris Vulgaris templum primum extruxisse.* De coemtis meretricibus, sunt Philemonis isti versus, apud eundem Athenæum, isto loco.

Tu verò in omnes invenisti homines, Solon,
*(Te enim primum hoc vidisse dicunt *)*
Rem, o Iupiter! popularem, & salutarem,
Mihiq; id dicere est conveniens, Solon:
Cum plenam videres urbem juvenibus,
Qui necessariis naturæ legibus obseqverentur,
Et delinqvebant, in qvo non conveniebat,
Mulieres mercatus, statuisti in locis suis,
Communes omnibus, & apparatas.

Harpocration. *Nicander, libro sexto Colophoniacorum,* (tertium dicit Athenæus, in citatis statim verbis?) *narrat Solonem, corpora mercatum formosa, ea in tecto prostituisse, propter juvenes: & ex pecunijs, qvas lucratæ illæ essent, Veneris Vulgaris templum dedicasse.* Eustachius, ad Iliad. Γ. *Quod auro gaudeat Venus, de qua est in fabula, ille quoq; manifestum sit*

sit, qui tradit; Solonem Veneris Vulgaris templum dedicasse, è mulierum quæstu, quas coemtas prostituerat in cellis, in adolescentum gratiam. Postea, quia molesti admodum cives essent, propter latas abs se leges, explicationem alibi, aut mutationem quoq;, postulantes, ut effugeret importunitatem eorum, legibusq; autoritatem conservaret, naucleriæ prætextu, petita à populo decennalis peregrinationis veniâ, navigio discessit. Plutarchus: *Quia verò, perlatis legibus, adibant indies aliqui Solonem, qui vel laudarent eas, vel culparent, monerentve, ut tabulis intexeret, vel demeret, quod cuiq; in mentem veniret: plurimi verò quærerent, juberentq;, quemadmodum accipiendum quidq; esset, quamq; haberet sententiam, explicare, & edocere: considerans, nisi faceret, rem insolentem fore; &, si faceret, invidiosam: atq; ambiguitates eas statuens omnino declinare, importunitatemq; civium, & culpandi studium, effugere cupiens, (nam, ut ipse ait, in magnis rebus omnibus placere, est difficile:) prætexens absentiæ naucleriam, enavigavit; cum prius ab Atheniensibus petiisset, ut decennalis peregrinationis gratiam sibi facerent.* Quin & cives jurejurando obstrinxit, ad servandas per decennium istud leges. Herodotus, libro I. *Tum vero Solon, vir Atheniensis, qui cum leges jubentibus Atheniensibus tulisset, decem annos peregrinatus est, prætextu contemplandi navigio conscenso, ne quam legum, quas tulerat, abrogare cogeretur. nam hoc Athenienses ipsi facere nequibant, maximo jurejurando adacti, iis se legibus, quas ipse tulisset, per decennium usuros esse.* Proclus, in Timæum, lib. I. *Quod verò Solon in Ægyptum contenderit, non duntaxat ejus perlustrandæ studio, sed ut aliquanto tempore Athenienses viverent secundum leges, quas tulisset, quarumque ab ipso latarum nullam se abrogaturos juraverant, manifestum est.* Elias Cretensis, in Gregorij Nazianzeni Orat. III. *Solon, cum ab Atheniensibus rogatus fuisset, ut*

leges eas ipsis statueret, è quarum præscripto viventes quam optimi essent, ipseq; eos juramento devinxisset, se totos decem annos continuos ea, quæ sanxisset, servaturos, quo nimirum his assuefacti, ab his postea non facile dimoveri possent, eorum petitioni obsequitur. Legibus autem statutis, ex urbe egressus, totos eos decem annos, quos ipsis præstituerat, peregre egit. Videndus etiam tibi Nonnus, in Collectione sua Historiarum, lib. I Profectionis verò hujus, meminit item Philiscus, in colloquio cum Cicerone: apud Dionem Cassium, lib. XXXVIII. *Quid oportet Aristidem, quid Themistoclem, commemorare? quos exilium gloriosiores fecit. quid Annium? quid Solonem? qui sponte per decem annos peregrè fuit.* Marius Victorinus, in Reth. Cic. lib. I. *Atheniensibus Solon leges scripsit: &, quia nôrat, multos esse in rep. corruptissimos, in exilium ultrò profectus est.* Libanius, Declam. XVI. *Qui verò è media reip. administratione discesserint, quales multos cum dicere possim, ipsum Solonem sufficere existimo. etenim ille, non, ut alius quivis, particeps reip. factus, sed qui ipse illam constituisset, & civitati leges quoq; posuisset, ac pro vobis insanisset, (nam & Solon, uti ego, cum sic ipsi visum esset, insanivit:) relicto vitæ hoc instituto, discedens eberravit, ac negotia alia gessit.*

CAP. XXVI.

In Ægyptum abit, ubi cum sacerdotibus versatur. Inde in Cyprum proficiscitur, ubi urbem à suo nomine Solos dicit: quanquam alij id Ciliciæ Solis tribuant, quidam utrisq;. Hinc in Lydiam se recipit, & cum Cræso rege loquitur. Gregorij Nazianzeni calumnia, Cedreni imperitia, & Ammiani Marcellini error.

Itaq;

Itaq; conscensa navi, peregrè profectus, Ægyptum abijt, inde Cyprum: hinc, in Lydiam, ad Cræsum. Diogenes Laertius: *Navigio profectus est in Ægyptum, & in Cyprum, ac ad Cræsum.* Dicit autem istud factum, occupata à Pisistrato republicâ: Cum Plutarchus illud referat accidisse post remp. legibus latis ordinatam, ut robur ijs per absentiam decennalem compararet. Ita verò inquit. *Primum in Ægyptum est delatus, ibiq; commoratus, ut ipse ante dicit,*

Ad Nili fauces, quà littora curva Canobi.

Aliquantisper verò etiam cum Psenophi Heliopolita, & Sonchi Saita, literatissimis sacerdotum, philosophatus est: à quibus etiam, ut Plato auctor est, sermonem Atlanticum cùm audivisset, versibus efferre ad Græcos eum instituit. Ejus in Ægypto commorationis, & Sonchis Saitæ, ac Psenophios Heliopolitæ, meminit iterum, lib. De Iside, & Osiride: nisi quod Oenuphis illic, qui Psenophis hîc, dicatur. De Sermone Atlantico, est apud Platonem, in Timæo, & Critia: item Strabonem, lib. II. In colloquio autem illo cum sacerdotibus, cum de rebus antiquis interrogaret, quidam ipsum senibrum sic affatus est: *O Solon, Solon, Græci semper pueri estis: senex nullus est Græcorum.* Commemorat Plato, in Timæo; & ex eo Clemens, Strom. I. Justinus Martyr in Cohort. ad Græcos: Theodoretus, Therapeut. lib. I. Cyrillus, contra Julianum, lib. I. Ex Ægypto in Cyprum profectus, magnâ in gratiâ apud Philocyprum fuit, ejus regionis regem: qui Æpeam quoq; urbem, ab ejus nomine, Solos dixit. Plutarchus: *Inde cum in Cyprum navigasset, majorem in modum amatus fuit à Philocypro, quodam è regionis ejus regibus; qui habebat oppidum non magnum, à Demophonte Thesei filio conditum, ad flumen Clarium, in munito quidem loco, verum aspero, sterilig. Ei Solon, quum bonum agrum subiectum haberet, auctor*

fuit, ut urbem transferret, amœnioremq́, & ampliorem, excitaret. Atq; ipse præsens, ut frequentaretur oppidum cultoribus, curam egit, sociusq́ regis fuit in constituendo eo, cum ad vitam, tum ad securitatem, commodissimè tuendam. Unde factum, ut incolæ multi ad Philocyprum confluerent, cæteriq́ item reges æmularentur. Quâ de causâ etiam honorem hunc Soloni habuit, uti urbem, ante Æpeam nominatam, Solos diceret. Etymologici Auctor. *Soli, urbs Cypri: à Solone, Athieniensium legislatore.* Inde Plutarchi postrema hæc verba profert. Alij non Cypri Solos, sed Ciliciæ, à Solone conditos pariter, & denominatos, tradunt. Diogenes Laertius: *Inde discedens in Ciliciam abijt: & urbem condidit, quam de suo nomine Solos appellavit.* Stephanus. *Soli, urbs Ciliciæ, quæ nunc Pompeiopolis; Hecatæus, in Asia. Nominata verò est, à Solone.* Achilles Statius, in Vitâ Arati, in Solis Cypri cum Plutarcho consentit; sed Cypranorem, quem is Philocyprum, vocat. *Horum (in Cypro) Solorum meminit Solon, in Elegijs, ad Cypranorem regem: qui, consilio ab ipso accepto de condendâ urbe, ejus causâ eam Solos appellavit, hanc ei pro consilio gratiam rependens.* Propter hunc dissensum Auctorum, utramq; urbem, cum Ciliciæ, tum Cypri, ad Solonem conditorem refert Suidas: qui in eo quoq; variat, quod profectionem hanc Solonis nostri, non populi causâ, ob recenter latas leges negotium ei facessentis, sed Pisistrati, jam tyrannidem exercentis, atque insidias tendentis, institutam esse tradat. *Insidijs vero petitus à Pisistrato tyranno, in Ciliciam secessit: & urbem condidit, quam de suo nomine Solos appellavit: Alij verò, etiam Cypri Solos volunt ab eo nomen accepisse.* Et mox. *Soli, Ciliciæ, & Cypri, urbs: unde solæcismus, quod suâ linguâ barbarè uterentur. Solon, verò eam condidit, à quo etiam nomen accepit.* Inde in Lydiam, ad regem Cræsum, id petentem, se recepit. Ac, cum Sardes adve-

advenisset, statim in aulam deductus, Cræsum offendit, veste multo splendidissimâ, auro, ac gemmis coopertâ, relucentem, cum se rebus, quæ in oculos maximè incurrerer nil moveri testaretur, jussit ei gazam omnem, regiumq; instrumentũ universum, aperiri, & ostendi. post quæ, cum rogaret Cræsus, ecquem se beatiorem usquam nosset: Tellum ait nosse sese, civem suum, virum bonũ, & bonorum liberorum etiam patrem: qui, cum nil desideraret, fortiter pro patriâ pugnans, gloriosè vitam in acie finijsset. Hic, miratus eum Cræsus, & pro stipite arbitratus, quod felicitatem humanam non argento, neq; auro affluente, metiretur; quem post Tellum collocaret, inquisivit: ubi cum Bitonem, & Cleobim, nominasset, fratres geminos, mutuo in se amore, & in matrem pietate, excellentes; qui, cum boves cunctarētur, ipsi plaustrum subijssent, & parentem, sacerdotem tunc Junonis, in ejus ædem pertraxissent, gratulantibus ipsi civibus exultantem: quâ de causâ cum precata mater esset, ut quod optimum censerent, Dij illis largirentur, epulati cum eâdem, somno capto, postero die longe placidissima morte obijsse sunt inventi. Ad hæc, cum iratus Cræsus interrogaret, anne ullo in felicitatis gradu ipsum denique constitueret? mediam inter adulationem turpem, & offensam imprudentem, viam insistens; Græcis, inquit, rex Lydorum, cum alia omnia mediocria Dij dederunt, tum constantem ex mediocritate quandam sapientiam, plebeiamq;, sed non regiam, splendidamq;, quæ, fortunæ obnoxiam esse vitam hominis considerans, nec præsentibus bonis animum unquam extollere, nec felicitatem ullius, temporis vicissitudini oportunam, nimium suspicere finit, quando ignoremus omnes, quid cuiquam evenire unquam possit. cui verò prosperitatem fine Deus confirmaverit, hunc

hunc beatum prædicamus. Hæc locutus, ac digressus, pupugit animum Cræsi Solon, non correxit. Et Æsopus, qui tunc magno in honore apud Cræsum versabatur, dolens, sic dimissum esse, sine ullo humanitatis testimonio, cum alloqueretur ipsum, diceretq; ; reges, Solon, aut nequaquam, aut quàm potest jucundissimè, sunt tractandi: immò, Æsope, inquit ille, aut nequaquam, aut quam optimè. Ac tunc quidem non Solonis ullam sibi rationem habendam esse Cræsus duxit: postquam verò, acie à Cyro victus, Sardibusq; item amissis, in potestatem ejus vivus pervenisset; ac cremandus pyræ exstructæ, aspectantibus Persis omnibus, etiamq́; ipso Cyro adsistente, impositus esset, revocans Solonis dicta tunc ad animum, quantum extendere vocem potuit, ter, O Solon, exclamavit. Id cum miraretur Cyrus, misit, qui ex eo quæreret, quis Deorum, hominumve, Solon esset, cujus ita in extremis meminisset: cumq; Cræsus, quæ jam dixi, memorasset, & relata hæc Cyro essent, ille, Cræso sapientior, in præsentia animum flectens, & incerta futurorum secum reputans, vitam Cræso, & honores, est largitus: retulitq; illam inde laudem Solon, quod duorum regum alterum uno dicto conservasset, alterum erudijsset. Hujus rei strictim meminerunt multi ex Auctoribus: fusè autem retulerunt, cùm Herodotus, lib. I. tum Plutarchus, in Solonis hujus vitâ: & Ausonius, in Ludo septem sapientum; qui nonnihil in narratione suâ ab his variat: item Demetrius Triclinius, in Comment. ad Trachiniarum initium: & Joan. Tzetzes, Chil. V. Hist. V. Imprimis verò in hoc facto ostendit Solon, quàm divitias contemneret, animumq; supra pecuniam longè haberet: itaq; calumniæ non possum absolvere illum in Theologis Græcis inter primos recensendum, Gregorium Nazianzenum:

num: qui cujusdam inexplebilis avaritiæ, sine ullâ ratione, sapientem nostrum accusat; adversus Julianum, Orat. I. *Hæc jam sanè sapientis illius, ac legislatoris, Solonis inexplebili cupiditate, quam Crœsus auro Lydio coarguit, multò præstantiora sunt.* Et vestigijs quoq; hujus temerè insistit Elias Cretensis, in Commentario ad illum locum; verum omnino Cretensis, juxta illud Callimachium, Hymno in Jovem:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται. —— ——

Melius Nonnus, qui videtur excusare injuriam manifestam velle, cum exponit in hunc modum, in Collectione suâ Historiarum, lib. I. *Redeuntem verò à thesauris Solonem, interrogavit Crœsus; Ecquis tandem ex omnibus mortalibus ipsi beatissimus esse videretur: existimans utiq;, eum felicitatis primas ipsi daturum. Solon autem, Tellum sibi Atheniensem omnium omnino beatissimum videri, respondit. Beatitudinem enim non in opibus, aut superbia, sed in vitæ tranquillitate, & felicitate mortis, constituebat. Inexplebilem itaq; Solonem Crœsus vocat, quod majores auro Lydio opes cernere desideraret.* Ut calumniæ verò Gregorium, sic Cedrenum imperitiæ bono jure accusavero, quod Solonem captum potius à Crœso fuisse, quam sponte suâ, ac vocatum, ad ipsum ivisse, nobis memoret: cùm Auctorum veterum neminem hîc consentientem sibi dare possit. Ecce verba: *Crœsus, cum jam ad ignem duceretur, exclamavit; O Solon, Solon. Id Cyrus audiens, causam, cur Solonem nominaret, reqvisivit. atq; is respondit: cum Solonem captivum haberem, abduxi eum, gloriam meam illi jactans, & divitias regni mei, ac rogavi; an quem me beatiorem invenire ipse posset. respondit autem; Diogenem Cynicum illum esse, & alios multos.* Ubi alterum imperitiæ non minoris argumentum mihi nota; quod Soloni mentionem Diogenis tribuat, qui centesimo demum anno, ampliusq;,

vivere incepit, postquam Solon desijsset. Sed, ut meritò hic Cedrenum reprehendo, quid Diogene Cynico ipso faciemus; qui in quadam ad Sinopenses suos Epistolâ, se cum Solone, & ijs, qui à Medorum servitute Græciam liberaveverant, vivere scribit, istis verbis: *Vos quidem, me exilio damnastis: ego verò, vos mansioni. Habitabitis itaq; vos quidem, Sinopen; ego, Athenas, id est, vos quidem, cum mercatoribus: ego autem, cum Solone, atq; ijs, qui à Medorum servitute Græciam liberarunt.* Atqui à Solonis obitu ad extrema tempora Medica, anni sunt plus septuaginta: & ab ijs, ad nativitatem ipsius, etiam plus sexaginta. Verùm, ut Cedrenum quidem excusare minimè possum, ita huic facilè patrocinium invenio. nempe figuratè loquitur; &, se cum Solone vivere Sinopensibus scribebat, quia sub illius legibus: cum ijs verò, qui Medorum servitutem propulsaverant, quia Athenienses nempe illud fecerant: quorum filij, ac nepotes, tunc adhuc in vivis erant. Atq; hoc obiter, per Cedreni occasionem. De Telli verò, Cleobisq;, ac Bitonis, felicitate, à Solone apud Cræsum prædicatâ, est Plutarchi quoq; locus, in libro, De discr. adul. & amici. *Et Solon, Cræso de felicitate inquirente, Tellum, quendam obscurum Athenis hominem, Bitonemq;, & Cleobin, feliciores esse ostendit.* Verùm, quod comemoratur Cræso suggessisse Solon, non beatum prædicari quenquam posse, ante vitæ suæ finem: id à plurib⁹ celebratur. Juvenalis, Sat. X.

Festino ad nostros, & Ponti transeo regem,
Et Crœsum; qvem vox justi facunda Solonis
Respicere ad longæ jussit spatia ultima vitæ.

Ubi interpres ejus vetus: *Cum interrogatus fuisset Solon à Cræso, si aliquem vidisset tam gloriosè regnantem: ille dixit, debere vitæ ultimæ eventum exspectare.* Ausonius, in Sententijs septem Sapientum,

Ex-

Exspectare Solon finem docet, ortus Athenis.

Et Solon ipse, apud eundem:

Dico tunc beatam vitam, cum peracta fata sunt.

Arrianus, De Exped. Alex. lib. VII. Ἧς ἕνεκα καὶ Σόλωνα Κροίσῳ παραινέσαι εἰκὸς, τέλος ὁρᾶν μακροῦ βίου, μηδὲ πρόσθεν τινὰ ἀνθρώπων ἀποφαίνειν εὐδαίμονα. *Cujus rei causâ Solonem Crœso suasisse verisimile est, ut longæ vitæ exitum spectaret, neque prius mortalium quemquam felicem judicaret.* Sophocles, dictum repræsentans, Solonem, ejus auctorem, designat potius, quam nominat: cum sic loquentem Deianiram introducit, in Trachiniarum initio.

Vetus hoc dictum est, priori seculo celebratum:
Quod non liceat de cujusquam vita judicare, priusquam
Mortuus sit, utrum ea bona fuerit, an mala.

Ubi vide Scholiasten, & Demetriũ Triclinium: uti etiam ad Oedipi tyranni finẽ. Alludit quoq; Euripides, in Heraclidis.

Ac vinculis colligatum manus, spolium
Pulcherrimum venit imperatorem ducens,
Illum beatum antea; præsenti verò fortunâ,
Mortalibus omnibus clarè enunciat, ut discant,
Ei, qui beatus videtur, ne æmulentur, priusquam
Mortuum viderit quispiam. ita fortuna indies variat.

Meminerunt quoq; Arrianus, De rebus gestis Alexandri lib. VII. Theodor⁹ Ducas, De Nat. comm. lib. V. Auctor τῶν θεολογουμένων τῆς ἀριθμητικῆς, ubi de numero quaternario agit; Maximus Tyrius, Dissert. XXXV. Theodoretus, Therapeut. lib. V. Johannes Salisberiensis, Policratici lib. VIII. cap. XIV. Nicetas, ad Gregorij Nazianzeni Tetrasticha; Manuel Palæologus, Orat. I. & Anthologia Græcorum

rum Epigrammatum, lib. I. cap. LXXXVI. Inquirit autem in hoc dictum Aristoteles, Nicomach. lib. I. cap. X. *Numquid igitur neq; alius quisquam homo, quoad vivit, felix dicendus est; sed, ex sententia Solonis, finem spectare oportet? Quod si ita sese habet, neq; aliter statuendum est, felixne tunc erit aliquis, ubi diem suum obierit? an absurdum hoc planè existit, & aliàs quidem, & nobis, qui dicimus, felicitatem esse operationem quandam? Quod si non dicimus, mortuum felicem esse; (neq; hoc Solon etiam voluit, sed solummodo, tunc felicem hominem tutò dici posse, quippe qui jam extra mala, & infortunia, sit positus:) etiam illud dubitationem quandam habet.* Ubi vide item Eustratium. Discessit verò à Cræso Solon sua sponte, non ejectus, uti Ammianus tradit, lib. XV. *Cræsum legibus ideo Solonem regno suo expulisse, quia blandiri nesciebat.* Itaq; errat manifestò.

CAP. XXVII.

Interim, dissidio Athenis orto, & tripliciter divisâ civitate, domum redit: ubi Pisistrato, tyrannidem affectanti, & potentiori, frustra se opponit. Thespin quoq; Tragœdum increpat, prohibetq;: ac de eo Suidæ error indicatus.

AT Athenis, dum sic abest, tota civitas in seditionem exarserat; & Diacrij, Pediæi, Paraliq;, inter sese dissidebant: ac Lycurgum Pediæi, Parali Megaclem, Diacrij Pisistratum ducem sequebantur. Plutarchus: *Cives verò urbani omnes, peregre absente Solone, inter sese dissidebant. ac dux Pediæorum, erat Lycurgus; Paralorum, Megacles, Admæonis filius; Pisistratus verò, Diacriorum: in quibus erat multitudo capite censa, eaq; locupletibus vehementissimè infesta.* Inter hæc domum reversus, erat quidem apud omnes in auctoritate summâ, & honore: cæterùm, robustiorem factionem, quam

quam componi ut verbis posset, & oratione suadâ, facto aliquo insigni, masculoq; , ad opprimendum, non suffecit: cùm, ætate jam senectâ, labefactatis corporis viribus, animi quoq; justum robur destitueret. Plutarchus: *Hoc rerum statu regresso Solone Athenas, omnes quidem & reverebantur eum, & honorabant: cæterum ad dicendum, vel agendum, in publico, neq; viribus, neq; animo, sufficiebat, præ senio.* Posteaquam factioni componendæ imparem se animadverteret, principes seorsim alloquens, ut reduceret in concordiam, operam dedit; eaq; in re Pisistratum maximè sibi auscultantem invenit. Plutarchus: *Capita verò factionum seorsim compellans, dirimere ea, & reducere in concordiam, conatus fuit: Pisistrato maximè, ut videbatur, auscultante.* Sed, cum postea obstinatius ille pergeret, ut tyrannidem affectaret, Pediæis, Paralisq; , jam superior: ac vulneribus sibi inflictis populum pro se concitaret, ille palàm compellatum dehortari minimè destitit. Plutarchus: *Postquam verò, inflictis sibi vulneribus, in forum Pisistratus venit, curru vectus, populumq; concitavit, tanquam Reip. causâ insidijs ab inimicis appetitus, multosq; haberet indignantes, & clamantes, propiùs accedens Solon, adsistensq; ; Non rectè, inquit, fili Hippocratis, imitaris Ulyssem Homericum; nunc siquidem eadem ipse facis, ad decipiendos cives, quibus ille, cum se flagris concidisset, hosti imposuit.* Verùm, postquam per blanditias nil omnino profecisset, tandem palam se opposuit: &, loricâ mox armatus, clypeoq; , populum pro concione exhortari non cessavit, ne desererent libertatem, seq; ducem ad vindicandam sequerentur. Diogenes Laertius, in ejus vitâ, lib. I. *Cum venisset (Solon) in concionem quandam cum loricâ, & scuto, prædixit illi Pisistrati insidias: neq; id solum, sed & se paratum esse opem ferre.* Hoc est, quod Valerius Maximus dicit, lib. V.

cap. III. *Pisistrati tyrannidem primus (Solon) vidit orientem; & solus, armis opprimi debere, palam dictitare ausus est.* Cum verò, neq; sic proficeret, positis ante curiam armis; Ego, inquit, quantum potui, patriæ, & legibus, opem tuli. Plutarchus: *At cum nemo, propter metum, auscultaret, domum abijt; sumtisq; armis, & in vico ante fores collocatis: Ego quidem, quantum potui, patriæ, inquit, legibusq;, opem tuli.* Diogenes Laerti9. *Jam potito rerum (Pisistrato) ipso, cum nequaquam persuaderet, posuit arma ante curiam; ac, cum dixisset, Equidem, ô patria, verbo, & opere, te adjuvi, in Ægyptum abnavigavit.* Factum ipsum, eodem modo; verba, aliter narrat ipse Solon, in Epistola ad Epimenidem: *Ego verò, positis ante curiam armis, ijs, qui Pisistratum ad tyrannidem contendere nullo modo animadvertebant, prudentiorem me dicebam; ijs autem, qui defendere non audebant, fortiorem.* Quo modo etiam Plutarchus refert: *Cum videret pauperes quidem gratificari Pisistrato cupientes, ac tumultuantes, divites vero fugientes, timentesque, abijt, dicens: Ego quidem his prudentior, illis fortior existo. ac prudentior quidem istis, qui non capiunt, quid agatur; fortior autem, his, qui isthoc capiunt quidem, sed tyrannidi obviam ire reformidant.* Meminerunt item Aristides, in Orat. De Smyrnâ: & Ælianus, Var. Hist. lib. VIII. cap. XVI. Cumq; custodiam corporis sui, quam petierat, Pisistratus obtinuisset, postulavit; ut, quas tulerat pridem, leges abrogarentur. Eamq; in rem Polemonis declamatio fuit, cum hoc titulo; ὁ Σόλων αὐτῶν ἀπαλείφειν τοὺς νόμους, λαβόντος τὴν φρουρὰν τοῦ Πεισιστράτου. *Solon, petens, ut leges sibi suas delere liceat, cum custodiam impetrasset Pisistratus:* ut est videre apud Philostratum, in Polemonis Elogio, Sophist. lib. I. Post hæc, quanquam facto nil prodesse posset, verbis tamen non abstinuit; quæ, in isto rerum statu, dementis potius, quam prudentis, viderен-

rentur: qua de re interrogatus, qui fiduciâ tantâ ageret; Senio fretum ſe, reſpondit. Plutarchus: *Super his, cum multi ipſum admonerent, à tyranno cæſum iri; quærerentq; qua re fretus hunc in modum dementiret, Senio, inquit.* Meminitq; hujus dicti iterum, in libro, *An ſeni ſit gerenda Reſp.* Cicero, non amicis ipſum admonentib⁹, ſed Piſiſtrato ita reſpondiſſe dicit, lib. De Senectute: *Hoc eſt illud, quod Piſiſtrato tyranno à Solone reſponſum eſt; cum illi quærenti, Quâ tandem ſpe fretus ſibi tam audacter reſiſteret reſpondiſſe dicitur. ſenectute.* Inter iſta, dum luctatur cum Piſiſtrato pro Republicâ, Theſpin tragœdias exhibere prohibuit. Diogenes Laertius. Καὶ Θέσπιν ἐκώλυσε τραγῳδίας ἄγειν τε καὶ διδάσκειν, ὡς ἀνωφελῆ τὴν ψευδολογίαν. *Theſpin tragœdias agere, ac docere, vetuit, tanquam inutilem falſiloquentiam.* Fuſius id Plutarchus memorat: *Cum jam movere Theſpis cæpiſſet tragœdiam, & detineret rei novitas multitudinem, (necdum enim ad certaminis contentionem res devenerat,) ac naturâ Solon audiendi, diſcendiq; ſtudioſus eſſet, magisq; in ſenectâ ætate in otium ludumq; ſeſe, immò etiam compotationes, muſicamq;, remitteret, ipſum Theſpin, uti mos veteribus erat, ſpectavit. Poſtquam vero finitum ſpectaculum eſſet, compellatum interrogavit; ecquid non puderet ipſum, coram tam multis, tam multa mentiri? cumq; Theſpis reſponderet, non eſſe indignum, ea per ludum dicere, aut facere: Solon vehementer terrâ baculo concuſſâ; Atqui, inquit, brevi ludum hunc laudantes, & honorantes, in contractibus inveniemus.* Factum vero iſthuc ipſum circa initia tyrannidis Piſiſtrateæ, uti certum ex Plutarcho: id eſt, Olympiade quinquageſimâ. Itaq; graviter errat Suidas, qui Olympiade ſexageſimâ primâ Theſpin fabulas primùm docuiſſe nobis tradit, in Θέσπις, iſtis verbis: Ἐδίδαξε δὲ ἐπὶ τῆς πρώτης καὶ ἑξηκοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Egit verò fabulas Olympiade ſexageſimâ primâ.*

CA-

CAP. XXVIII.

Occupatâ à Pisistrato rep. in Lydiam se, & Cyprum, recipit, variè à multis invitatus. Plutarchi error, & Herodoti, ac Diogenis Laertij, indicatus.

POtiore jam Pisistrato, & rep. occupatâ, continuisse se Solonem: & in Urbe remansisse, nec amicis contra suadentibus obsecutum, sed carminibus Athenienses, ob admissam servitutem, incessisse, tradit Plutarchus: *At cum nemo, propter metum, auscultaret, domum abijt: sumtisq; armis, & in vico ante fores collocatis; Ego quidem, quantum potui, patriæ, inquit, legibusq;, opem tuli. ac deinceps conqvievit; nec, suadentibus amicis, uti in exilium iret, morem gessit: sed, poemata scribens, Atheniensibus probra objecit.* Ac conquievisse quidem, & convivijs, cæterisq; oblectamentis, se dedisse, paullò ante quoq; dixit, istis verbis, ubi de Tragœdo Thespi illi sermo. *Cum Solon audiendi, discendiq;, studiosus esset: magisq; in senectâ ætate in otium, ludumq;, sese, immò etiam compotationes, musicamq;, remitteret.* Quam in rem sunt illi quoq; ejus versus, qui ab eo producuntur:

Addiscens verò plurima, fio senex.

Item.

Sunt Veneris, Bacchiq; mihi nunc munera curæ;
Musarumq;, viros quæ recreare solent.

Qui ipsi etiam hujus versus proferuntur ab eodem, in Convivio septem sapientum, ubi quod gaudere sese Baccho dicit, eo quoq; referri debent ista Senecæ, De tranquillitate animi. *Ut libertatis, ita vini salubris moderatio est. Et Solonem indulsisse vino credunt.* Et Musarum illi studia grata fuisse, testatur quoq; insigne opus, de Atlantico sermone, tunc ab

ab eo inchoatum, sed desertum, magnitudinis suæ tædio. Plutarchus: *At Solon, cum magnum illud opus de Atlantico sermone, aut fabulâ, quam ex doctis Sai acceperat, convenientem Atheniensibus, inchoasset, defecit: non propter occupationes. ut vult Plato; verùm magis propter senium, operis magnitudine territus.* Sed, Athenis ut Solon manserit, postquam eæ à Pisistrato occupatæ, suadentibus etiam amicis, ut abiret, quanquam id Plutarchus dicat, mihi non fit verisimile. Quin Diogenem Laertium sequi hic malo; qui, navigio discessisse, nobis tradit, istis verbis: *Jam verò ipso (Pisistrato rerum potiente, posuit arma ante prætorium, & dicens; O patria, ego tibi verbo, & opere, opem tuli, abnavigavit.* Quanquam etiam ille certè in eo errat, quod Ægyptum petijsse tunc affirmet: cum omnino illud factum, postquam leges condidisset, ut jam ante à me dictum. Urbe verò excessisse, nec in ea remansisse, auctor etiam A. Gellius, lib. XVII. cap. XXI. *Servio autem Tullo regnante, Pisistratus Athenis tyrannus fuit, Solone ante in exilium voluntarium profecto.* Sed, non est alio teste opus, quam Pisistrato; qui ad reditum invitat, in Epistolâ, quæ nunc legitur apud Diogenem: in qua ista verba extant. *Te verò ego nullo modo culpo, quod propositum meum detexeris; quippe qui id benevolentiâ in remp., potius quam odio mei, feceris. insuper, quod ignorares, quomodo ego principatu usurus essem: siquidem, si id scivisses, fortè me constituentem principatum æquo animo tolerasses, neq; in exilium ivisses. Itaq; domum revertere, etiam injurato credens, nil Solonem injucundi à Pisistrato passurum. nosti enim, neq; quenquam inimicorum grave aliquid passum esse. quod si locum inter amicos meos cupies, inter primos collocaberis: quando nec dolosum quicquam, aut insidum, in te video. aut, si quocunq; alio modo habitare Athenis cupies, integrum illud tibi erit: Dummodo ne nostrâ causâ patriâ*

P careas.

careas. Et ipse Solon, in Epistolâ, quâ respondet huic Pisistrati, apud eundem Diogenem: *Credo equidem, nihil me abs te passurum mali: etenim ante tyrannidem amicus tibi eram, Athenas autem redire, non honestum esse video: ne me quispiam reprehendat, qui remp. aequalem Atheniensibus constituerim, ac tyrannidem, cùm liceret, exercere recusaverim, nunc reversus probare videar, quae tu facis.* Estq; hoc ipsum animadvertere ex altera Epistolâ, ad Epimenidem, quae ibidem exhibetur, Ergo manifestus est Plutarchi error; & Æliani, qui commemorat: & in urbe remansisse, nullo malo à Pisistrato affectum; & defunctum ibidem esse, ac sepultum, statuâq; in foro positâ, honoratum. Ita enim refert, Var. Hist lib. VIII cap. XVI. *Atqui tamen Pisistratus, sive reverentiâ viri, sive recordatione adolescentiae, quâ in delicijs ipsi fuisse dicebatur, nihil mali fecit Soloni. Solon vero paulò post, aetate grandis, vitam finijt: magnâ gloriâ sapientiae & fortitudinis, relictâ. Atq; in honorem ejus aenea statua in foro posita est; quin & publicè ipsum sepelierunt, juxta portam, & murum urbis, ad dextram introeuus: monumentumq; ejus muro circumdatum est.* Quonam ergo se recepit? Invitabat perbenignè Miletum Thales. Ecce tibi verba eius in Epistolâ: *Si paulisper Athenis excesseris, commodissimè mihi Mileti domicilium ponere posse videris, apud colonos vestros. neque enim hic quicquam grave est. Quod si apud Milesios quoq; tyrannidem esse indignaris, (siquidem omnes aesymnetas odio habes,) at nobiscum, qui amici tui sumus, vivere gratum tibi erit.* Bias, Prienen evocabat. Id testatur in eadem Epistola Thales. *Scripsit etiam tibi Bias, ut Prienen venias.* Epimenides, in Cretam pertrahere est conatus. Ita etiam ad ipsum scribit: *Bono, ô amice, animo esto. Si enim jam servientibus, neq; bonas leges habentibus, dominaretur Pisistratus, principatum in subjectos sibi cives sempiternum habere posset. nunc,*

viris non malis servitutem imposuit; qui, Solonis monitorum memores, dolent cum pudore, neq; opprimi tyrannide sustinebunt. Verùm, etsi civitatem in potestate Pisistratus teneat, non tamen ad liberos ejus imperium perventurum spero. difficile enim est, Viros, antea libertate sub legibus præstantissimis fruitos, servos esse. Tu verò, ne circumerres; quin in Cretam ad nos veni; non enim tibi hîc tyrannis gravis erit. Cleobulus, uti Lindum ad se veniret, rogavit, istis literis: *Amici quidem tibi sunt multi, & domus ubiq;. verum ego, Soloni Lindum, populari imperio utentem, jucundissimam fore affirmo. Et insula undiq; mari alluitur; in qua habitanti nihil grave à Pisistrato metuendum: & amici undiq; ad te accedent.* Deniq; à Cræso rege in Lydiam invitatus fuit, ut ipse nobis Solon testis, in epistola hac ad eum: *Amplector tuam in nos benivolentiam: &, per Minervam, nisi omnino constituissem in liberâ rep. habitare, mallem tecum in regno tuo commorari, quam Athenis, Pisistrato per vim tyrannidem usurpante.* Et Ausonius in septem Sapientibus; sic loquentem eum, de hac vocatione introducit:

Rex, an tyrannus, Lydiæ Cræsus fuit.
Hic in beatis, dives insanum in modum,
Lateribus aureis templa qui divis dabat,
Is me evocavit. ———

Sed, tam multis invitantibus, quonam ivit? si quid judico; in Lydiam, ad Cræsum: atq; ita sentiendi mihi ipse Solon auctor; qui, in fine citatæ statim à me epistolæ, ita scribit: *Veniam tamen ad te, ut hospitio tuo ocyus fruar.* Errat igitur Plutarchus, & eo prior quoq; Herodotus; qui profectionem ad Cræsum institutam tunc comemorant, postquam, confirmandis legibus, in decennium peregre abijt: uti

 ante

ante à me dictum. Rectius multò Diogenes; qui, rep. à Pisistrato occupatâ, id factum dicit: quanquam in eo iterum falsus, quod Ægyptum eodem tempore aditam tradat. hanc enim sine ullo dubio tunc accessit, cum, ad leges per absentiam stabiliendas, decennalem peregrinationem instituit. Non potuisse autem Solonis profectionem hanc ad Cræsum fieri mox à latis legibus, id est, circa Olympiadem XLVII, inde certò sat pronuntiari potest, quod is regnum demum adierit Olymp. LIV. anno II: ut videre est apud Eusebium, Chron lib. II. Post, à Cræso cum discederet, Cyprum petijt: quâ de re, Plutarchum secutus, qui hîc quoq; itidem errat, supra egi. Nam, tum demum Cyprum eum adiisse, hinc manifestum esse potest, quod ibidem tandem obierit: quemadmodum ostendam infra, cap. ultimo.

CAP. XXIX.

Dicta ejus præclarissima.

HActenus, quæ facta ab eo, commemoravi; nunc præclarè ab eo dicta mihi referenda puto: quorum ista recensentur à Diogene. *Ajebat, sermonem quidem, esse operis imaginem; regem vero, qui potentiâ plurimum valeret: leges vero, aranearum tectis simillimas; illas enim, si quid leve, & imbecillum, incideret, istud tegere: si quid majus, id diffindere, ac evadere. Sermonem quidem silentio signari: silentium, tempore. Qui apud tyrannos potentes essent, calculis, quorum in subducendis rationibus usus, similes existere: ut enim illi interdum majorem numerum, interdum minorem significant; ita & tyrannos horum quemq; aliquando magnum, ac splendidum, aliquando sine ullo honore habere. Interrogatus, quâ ratione homines quam minimè injustè agerent; si pariter, inquit, afficerentur, quibus nulla facta inju-*

injuria est; atque illi, quibus facta est. Insuper, satietatem è divitiis, contumeliam è satietate gigni. Item ista. *Probitatem juramento fideliorem cense. Mentiri noli. Praeclara sedulo meditare. Amicos cito noli parare; quos autem paraveris, ne reijcias. Tunc rege, cum primum didiceris regi. Consule, non quae suavissima, sed quae optima. Mentem ducem sequere. Ne cum malis converseris. Deos honora, Parentes reverere.* Rursum istud. Μηδὲν ἄγαν. *Ne quid nimis.* Ad primum quod attinet; *Sermonem esse operis imaginem:* fusius commemorat Syrianus, ad Hermogenem, in hunc modum. *Quemadmodum etiam Solon clamat. Qualis est vita, talis quoque oratio: & qualis oratio est, tales etiam actiones.* Apud Valerium Maximum, ista traduntur lib. VII. cap. II. *Solon, cum ex amicis quendam graviter moerentem videret, in arcem perduxit, hortatusque est, ut per omnes subjectorum aedificiorum partes oculos circumferret: quod ut factum animadvertit, cogita nunc tecum, inquit, quam multi luctus sub his tectis & olim fuerint, hodieque versentur, insequentibusque seculis sint habitaturi; ac mitte mortalium incommoda, tanquam propria, deflere. Idem ajebat; si in unum locum cuncti mala sua contulissent, futurum; ut propria deportare domum, quam ex communi miseriarum acervo portionem suam ferre, mallent.* Prius illud, totidem verbis refert Joannes Salisberiensis, Policratici lib. VIII. cap. XIV: pro altero, istud repraesentat. *Idem (ajebat,) Nihil homini metuendum, nisi ne Philosophiam finis excludat.* Pluscula habet Demetrius Phalereus, in Apophthegmatis Sapientum, apud Stobaeum, Serm. III. quorum partem paullò ante ex Diogene jam produxi. *Ne quid nimis. Ne judex sedeas: sin autem, damnato inimicus fies. Voluptatem fuge, parit enim tristitiam. Serva morum probitatem, vel jurejurando fide digniorem. Sermonem quidem, silentio obsigna: silentium, tempore oportuno. Ne mentire, sed verum dicas.*

cas. Seria meditare. Parentibus justiora ne dixeris: Amicos non citò comparabis: quos vero comparaveris, non statim rejicies. Cum regi didiceris, regere scies. Quam aliis pœnam præscripseris, tu quoq; sustineto. Civibus non suavissima, sed optimà, consules. Ne sis arrogans: Cum malis ne converseris. Deos consule. Amicos cole. Parentes reverere. Mentem tibi ducem præfice. Quod videris, ne dixeris. Sciens, taceto in tuos mansuetus esto. Ignota ex notis conjice. Istiusmodi sunt illa, quæ Soloni, in Dictis septem Sapientum, tribuit Ausonius:

Dico tunc beatam vitam, cum peracta fata sunt.
Par pari jugator conjux; quicquid impar dissidet.
Non erunt honores unquam fortuiti muneris.
Clam coarguas propinquum, quem palam laudaveris,
Pulchrius multo parari, quam creari, nobilem.
Certa si decreta sors est, quid cavere proderit?
Sive sint incerta cuncta, quid timere convenit?

Et ludius ibidem.

Delphis Solonem scripse fama est Atticum,
Γνῶθι σεαυτόν· *quod Latinum est, Nosce te.*
Multi hoc Laconis esse Chilonis putant.
Spartane Chilon, sit tuum, nec ne ambigunt.
Quod in te fertur, τέλος ὅρα μακροῦ βίου.
Finem intueri longæ vitæ quo jubes;
Multi Solonem hoc dixe Crœso existimant.

Plura leguntur apud Stobæum, Serm. XXXIV. *Solon inter pocula tacitus à Periandro interrogatus, an propter verborum inopiam, an ob stultitiam taceret, respondit: Atqui stultus nemo inter pocula tacere potest.* Serm. XLI. *Solon illam civitatem*

tem optimè habitari dixit, in quâ viros bonos honoribus affici: contra autem pœnis malos, sit receptum. Et huc respexit Cicero, ad Brutum, Epist. XV. *Ut Solonis dictum usurpem, qui & sapientissimus fuit ex septem, & legum scriptor solus ex septem. is remp. duabus rebus contineri dixit: præmio & pœna.* Rursum Stobæus, in citato proximè sermone. *Solon, rogatus; Quanam ratione nullum in urbe factum injustè admitteretur? respondit: Si tam indignarentur illi, quibus non facta est injuria, quam quibus facta est.* Quod supra quoq; est inter illa, quæ protulimus è Diogene: & commemoratur etiam à Plutarcho. Ac mox, in Sermone eodem. *Solon, rogatus, Quomodo civitates optimè regerentur, respondit: Si cives quidem magistratui obediant; magistratus autem, legibus.* Serm. XLVI. *Mihi quidem, ajebat Solon, maximè gloriosus futurus videtur & rex, & tyrannus, si democratiam ex monarchia civibus constituerit.* Deniq;, Serm. LXXXIII. *Solon optimam sibi familiam videri dixit, in qua pecuniæ non injustè possideantur, nec malâ fide custodiantur, nec cum pœnitentiâ expendantur.* De illo verò, *Ne quid nimis*, ex Demetrio Phalereo paullò ante recitato, est Clementis item locus, Strom. I. *Rursum Chiloni Lacedæmonio tribuunt illud, Ne quid nimis; Strato autem, in Opere De inventis, adscribit hoc dictum Stratodemo Tegeatæ: Didymus verò, id Solonis esse censet.* Aliud habet Theodoretus, Therapeut. lib. V. *Solonem præterea, Atheniensem legislatorem, Herodotus auctor est Crœso dixisse:*

O Crœse, omnis homo est calamitas.

Locus autem is Herodoti, quem respexit, exstat Hist. lib. I. Neq; negligendum istud, quod recenset Aristoteles, Ethic. Nicom. lib. X. cap. VIII. *Quin & Solon felices fortassis rectè definivit, dicens; eos esse, qui externis rebus mediocriter fue-*

fuerunt instructi, & honestissima egerunt, ut existimabat, vixeruntq́; temperanter. Ad quem locum Eustratius, sive is est Michael Ephesius. *Solonem etiam testem profert, qui felicem inquiebat, non multis magnisq́; affluentem; sed, qui utraq́; hæc haberet, & optima faceret: deniq́; vitam temperanter institueret.* Deniq;, præclarum & istud, quod refertur à Demosthene, Orat. in Timocratem. *Illud etiam vobis recitabo, quod Solonem aliquando dixisse ferunt apud judices, in eo accusando, qui legem perniciosam rogarat, in hanc sententiam. Receptum esse universim apud civitates, qui monetam adulteraverit, ut morte mulctetur. Deinde interrogasse judices, num eis illa lex justa, & laudabilis, videretur? qui cùm, videri sibi, respondissent, subjecisse: putare sese, argenti monetam privatorum contractuum causa repertam inter cives; leges autem, monetam esse reip. Judices igitur oportere multò magis, si qvis eam, qvæ civitatis moneta sit, corrumpat, odisse, ac punire; quam, si qvis eam, qvæ sit hominum privatorum. Atq́;, ut intelligerent, haud dubiè majus esse delictum, corrumpere leges, quam adulterare monetam, addidisse: multas civitates, quæ haud dissimulanter argento, qvod sit ære, & plumbo, contemperatum, utantur, tamen incolumes esse, nec ullum ex ea re detrimentum capere: at, si qui perinde, legibus adulterinis usi, receptas corrumpi siverint, eorum nullos unquam non internecione periisse.*

CAP. XXX.

Qvamdiu reip., à Pisistrato occupatæ, superstes fuerit; quoq́; ætatis anno, & ubi, vitam finiverit. Profectionis in Lydiam ad Crœsum, itemq́; Cyprum, verum tempus indicatum. Plutarchi, Æliani, Diogenis Laertij, errores ostensi. Ossa, in Salaminem feri-

ri, & ibidem spargi, jubet. Ejus sepulchrum Athenis, juxta portam; & statua, in foro, ante porticum Pœcilen: etiam altera, Salamine, item in foro: eaq; qvando dedicata. Libanii error; Demosthenis corruptus locus indicatus, & correctus. Qvibus temporibus potissimum claruerit. Theophili error refutatus.

SEd an diu, post remp. à Pisistrato occupatam, supervixit? Video in incerto esse; &, illos dicere: hos negare. Plutarchus: *Supervixit verò Solon, postquam tyrannidem incepit Pisistratus, ut Heraclides quidem, Ponticus memoriæ tradit, longum tempus: ut Phanias Eresius, minus duobus annis. Siquidem cæpit Pisistratus tyrannidem, archonte Comiâ: at Hegestrato archonte, cujus magistratus Comiæ proximus fuit, Solonem obiisse Phanias dicit.* Phaniæ consentit Ælianus, qvi ait; non multò post obiisse: Var. Hist. lib. VIII. c. XVI. *Solon verò paullò post, ad decrepitam usq; senectutem provectus, vitam finivit.* Cum Heraclide Pontico faciunt, qui ad Olympiadem LVI. produxisse eum vitam sunt auctores. Suidas: *Solon, Execestidæ filius, Athenienfis, philosophus, legislator, & Demagogus. Fuit autem Olympiade XLVII: Alij verò dicunt, fuisse LVI.* Et profecto, ad hoc tempus pervenisse, vero simile est; siquidem ad Crœsum abijt, qui regnare demum incepit, ut jam paullò ante dixi, Olymp. LIV. anno II: &, in Cyprum hinc profectus, urbem illic, Solos à se dictam, condidit. Illud certum; decessisse ætate grandem. Ita Ælianus tradit, in citatis statim verbis. *Decrepitus existens, vitam finivit.* Diogenes Laertius, octoginta annos natum fuisse dicit. *Obijt verò in Cypro, cum annos vixisset octoginta.* Lucianus, in Lon-

gævis, centum annos implevisse eum tradit. *Solon autem, & Thales, & Pittacus, qui è septem sapientum numero fuerunt, singuli centum annos vixerunt.* Sed ubi obijt? etiam hic dissensum quendam Auctorum video. Plutarchus quidem, cum non excessisse eum Urbe dicat, illic quoq; mortuum existimasse, facile convinci potest, quanquam non disertè tradat. Ælianus clarè dicit; & sepultum juxta portam, apud murum, ad dextram introitus: ac sepulchrum muro cinctum habuisse; ita enim scribit, libro citato. *Et extulerunt eum funere publico, ac sepelierunt prope portam, juxta murum; ac sepulchrum ejus muro cinctum est.* Alij, in Cypro mortuum volunt. Diogenes Laertius, in citatis statim verbis: *Obiit verò in Cypro.* Item in Pammetro:

Cypria defunctum subtraxit terra Solonem.

Suidas in Σόλων. *Alij verò dicunt, etiam Solos, qui sunt in Cypro: ab eo nomen accepisse: Ipsumq; in Cypro decessisse.* Valer Maximus, lib. V. cap. III. *Solon senectutem Cypri profugus exegit; neq; ei in patria, de qua optimè meruerat, humari contigit.* Ut autem natus Salamine fuerat, ita ossa quoq; sua, in cineres redacta, huc referri, & dispergi tota regione, voluit: simul etiam, ut videtur, generosâ indignatione animi, ne ingrati Athenienses illis unquam potirentur. Diogenes Laertius: *Obijt verò in Cypro, cum vixisset annos octuaginta; hunc in modum dato suis mandato: ut ossa, in Salaminem relata, ac in cineres redacta, per regionem dispergerent.* Et in Pammetro:

Cypria in externâ consumsit flamma Solonem;
Ossa, cinis quorum spica, tenet Salamis.

Et Cratinus, in Chironibus, apud eundem, ita loquentem eum introducit:

Ego

Ego hanc, ut ajunt homines, insulam colo;
Per universum Ajacis oppidum satus.

Aristides, Orat. Platonicâ II. *Quin hoc mihi Solonem antiquum superare videntur; quod ille quidem, per Salaminem dispersus, insulam existimatur Atheniensibus servare: hi, pro quâ collocati erant, Atticam totam conservarunt.* Plutarchus fabulosum censet; quanquam ab Aristotele etiam, alijsque, memoratum. *At combusti cineres fuisse per Salaminiorum insulam dissipatos, propter absurditatem, omnino incredibile est, & fabulosum: proditum tamen est, cum ab alijs viris, dignis quorum ratio habeatur, tum ab Aristotele philosopho.* Defuncto, ubicunq; demum, statuam in foro, honoris ergo Athenienses posuerunt. Ælianus Var. Hist lib. VIII. cap. XVI. *Ac statuerunt (Athenienses) ipsi (Soloni) statuam ex ære in foro.* Demosthenes, in Aristogitonem, Orat. II. *Omninò indignum est, cum Soloni, legum auctori æream in foro statuam decreveritis; ipsas vos leges adeò manifestè negligere, propter quas illi tam eximium honorem habuistis.* Qvem Demosthenis item locum profert Apsines, lib. De Arte Rhet. cap. Περὶ ἐνθυμημάτων: ac mox iterum cap. Περὶ νομίμων. Libanius, Declam. XXIX. *Theseus, convenientes honores consecutus est, ut Theseum declarat. Solon, in foro æreus stetit.* Et quidem ante porticum Pæcilen, quæ foro assita. Pausanias, in Atticis. *Ante porticum verò, (Pæcilen,) statuæ sunt ex ære positæ; Solonis, qui leges Atheniensibus scripsit: & paullò longius, Seleuci.* Qvin & alteram illi quoq; Salaminij, item in foro, dedicarunt, manu intra vestem conditâ: monumentum ejus gestus, quo cum populo Atheniensi verba facere solebat. Indicat nobis istud Æschynes, Orat. in Timarchum. *Satis scio, vos omnes trajecisse Salaminem, & Solonis spectasse statuam. itaq; ipsi testari,*

ri potestis, Solonem in foro Salaminiorum positum esse, manu intra vestem conditâ. quod est vobis, Athenienses, monumentum, ac simulacrum, ejus habitus, quo sit usus, cum ad populum Athenienses verba faceret. Meminit etiam Dion Chrysostomus, Orat. XXXVII. *Ad hunc (Periandrum) Solon cum ascendisset, rebusq. frueretur communibus, (ut communia sunt omnia amicorum,) tamen statuam non est ab eo consequtus: non quidem eam contemnens, quippe qui Salamine sibi aneam poni magni fecerit.* Sed in eo illo errat, quod, Solone ipse vivo, statuam hanc dedicatam esse dicat: cum ducentis demum annis, post remp. latis legibus constitutam, posuisse Salaminios eam constet, ex Demosthene, in Orat. De falsa legatione; cujus ista illic verba hac de re inveniuntur: Φέρε δὴ, καὶ περὶ τοῦ Σόλωνος ὃν εἶπε λόγον, σκέψασθε. ἔφη γὰρ τὸν Σόλωνα ἀνακεῖσθαι, τῆς τῶν τότε δημηγορούντων σωφροσύνης παράδειγμα, εἴσω τὴν χεῖρα ἔχοντα ἀναβεβλημένον, ἐπιπλήττων τι, καὶ λοιδορούμενος τῇ τοῦ Τιμάρχου προπετείᾳ. καίτοι τὸν μὲν ἀνδριάντα τοῦτον οὔπω ν΄ ἔτη φασὶν ἀνακεῖσθαι Σαλαμίνιοι. ἀπὸ Σόλωνος δὲ ὁμοῦ σ΄ ἐστὶν ἔτη, καὶ μ΄, εἰς τὸν νυνὶ χρόνον. *Agite verò, &, de Solone, quid dixerit, considerate. Dixit, Solonem dedicatum esse, exemplum modestiæ oratorum, manum intra vestem tenentem: quo reprehendit, & exagitat, Timarchi petulantiam. At, istam statuam nondum ante annos L. fuisse dedicatam, dicunt Salaminij. A Solone autem, omnino CC sunt anni, & XL, ad hanc usq. ætatem.* Sed corruptus necessariò iste locus. Nam oratio hæc Demosthenis habita fuit Olymp. CIX. anno II: ut Anonymus auctor docet, in descriptione suâ Olympiadum, ad eum annum. Ab eo verò tempore, si retrò compures ad Olymp. XLVI, annum III, quo remp. latis legibus Solon noster ordinavit, sunt anni CCLII. Ergo mendum est in posteriore numero, & librarius oscitanter μ pro ν΄ hoc loco scripsit. Quamob-

rem

rem omnino restituendum: ἀπὸ δ' Σόλωνος, ὅμως σ' ἐστὶν ἔτη, κ̀ ν', εἰς τὸν νυνὶ χρόνον. *A Solone autem omnino CC sunt anni, & L, ad hanc usq; ætatem.* Jam, si his ducentis quinquaginta & duobus annis, quinquaginta illos dempseris, ante quos Solonis statuam Salamine dedicatam ait Demosthenes, reliqui sunt post id tempus anni ducenti, & duo. Quod si ita sese habet, erit statua hæc dedicata, circa Olymp. XCVII, annum I. Et hæc ipsa est, ut existimo, de qua agit Diogenes Laertius; & inscriptionem quoq; ejus refert, in hunc modum: *Statuæ verò ejus hoc inscriptum est:*

Quæ dudum insanas Medorum propulit iras,
Legiferum. Salamis pulchra Solona tulit.

Mortem vero suam, ut hoc quoq; hic obiter dicam, lacrymis amicorum petijt decorari. Cicero, Tusc. Quæst. lib I. *Quod si fiat, melior Ennij, quam Solonis oratio. Hic enim noster;*

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. ———

At verò sapiens ille;

Mors mea ne careat lacrymis: linquamus amicis,
Mærorem, ut celebrent funera cum gemitu.

Iterum, in Catone majore. *Solonis quidem sapientis elogium est, quo se negat velle, suam mortem dolore amicorum, & lamentis, vacare. Sed, haud scio, an melius Ennius:*

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. ———

Respexit autem id Solonis distichon:

Μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισι
Καλλείποιμι θανὼν ἄλγεα, καὶ στοναχάς.

Exstat apud Plutarchum, in Comparatione Solonis, ac Publico-

licolæ: & Stobæum, Serm. CXXI. Ac claruit quidem potissimum circa Olympiadem XLVI; cujus tertio anno summum magistratum gessit, & leges tulit. Diogenes Laertius: *Floruit quidem maximè circa Olympiadem quadragesimam sextam; cujus tertio anno archon fuit, uti auctor est Sosicrates: quo tempore etiam leges tulit.* Quo quidem tempore regnabat in Judæa Sedechias: qui regnum orsus ab Olymp. XLIV, anno III, id est, octennium ante conditas ab eo leges. Hinc est illud Isidori, in Chronico: *Sedechias regnat annos undecim. Per idem tempus Sappho mulier in Græcia diverso poemata claruit, Solon leges Atheniensibus dedit.* Theophilus illi coætaneos facit reges; Cyrum, & Darium: & prophetam Zachariam. Verba ejus ista extant, ad Autolycum, lib. III *Si quis dicat Solonem Atheniensem; hic extitit circa tempora regum, Cyri, & Darij: quo tempore etiam Zacharias Propheta, de quo dixi, floruit.* Sed, exactè si quis computet, de Cyro quidem, verum eum dixisse inveniet; qui regnum incepit Olymp. LIV. anno IV. non multo tempore ante obitum Solonis: de Dario verò, & Zacharia, qui secundo Darij anno vatem egit, non sat illi ratio constat: siquidem Darius regnum est aggressus, Olymp. LXIV. anno III. cùm jam diem suum Solon annos aliquot obijsset. De Cyri tempore, ex Heraclide Pontico etiam refert Lactantius, lib. I. *Octavam (Sibyllam) scribit Heraclides Ponticus, Solonis, & Cyri fuisse temporibus.* Sub Romanorum verò regibus tribus vixit, Anco Marcio, Tarquinio Prisco, & Servio Tullo: quorum sub priore natus, uti colligi certò potest, adolevit: sub altero Remp. tenuit, & leges tulit: sub tertio verò, in exilio voluntario, vitâ decessit. Ac duorum posteriorum, & sub illis reip. administratæ, atq; exilij tolerati, meminit A. Gellius, lib. XVII, cap. XXI. *Solonem*

nem ergo accepimus, unum ex illo nobili numero sapientum, leges scripsisse Athenensium, Tarquinio Prisco Romæ regnante, anno regni ejus vicesimo secundo. Servio autem Tullo regnante, Pisistratus Athenis tyrannus fuit, Solone ante in exilium voluntarium profecto. Cicero solum Servium Tullum nominat, sub quo, in exilio degens, tandem mortuus est. Ita enim ait in Bruto: *Ante Solonis ætatem, & Pisistrati, de nullo, ut diserto, memoriæ traditum est. At hi quidem, ut Populi Romani ætas est, senes: ut Athenensium secula numerantur, adolescentes debent videri. Nam etsi Servio Tullo regnante viguerunt, tamen multo diutius Athenæ jam erant, quam est Roma ad hodiernum diem.* Et hæc quidem de Solone: quæ tu, Lector, quisquis æquus, candidusq́; pro humanitate tuâ boni consules.

FINIS.

AUC-

AUCTORUM
Qvi hic citantur,
INDEX.

Dion Chryſoſtomus.
Dionyſius Halicarnaſſeus.
Elias Cretenſis.
Etymologici Auctor.
Euripides.
Euſebius.
Euſtratius.
Euſtathius.
Freculphus.
Frontinus.
Galenus.
Gregorius Nazianzenus.
Harpocration.
Heraclides.
Hermogenes.
Hero.
Herodianus.
Herodotus.
Heſychius Alexandrinus.
Heſychius Mileſius.
Hieronymus.
Inſcriptio vetus.
Interpres Juvenalis.
Joh. Salisberienſis.
Joſephus.
Iſidorus Hiſpalenſis.
Iſidorus Peluſiota.
Iſocrates.
Juncus.
Juſtinus hiſtoricus.
Juſtinus Martyr.
Juvenalis.
Lactantius.
Lesbonax.
Libanius.
Livius.
Lucianus.
Lyſias.
Macrobius.
Manilius.
Manuel Palæologus.
Marcellinus.
Marianus Scotus.
Marius Victorinus.
Maximus Tyrius.
Menander rhetor.
Michael Epheſius.
Minutius.
Nicephorus Calliſtus.
Nicephorus Gregoras.
Nicetas.
Nonnus Monachus.
Nonnus Poeta.
Papinianus.
Paulus Diaconus.
Paulus Oroſius.
Pauſanias.
Philemon.
Philo.
Philoſtratus.
Phrynichus.
Piſiſtratus.
Plato.
Plautus.

Plinius.
Plutarchus.
Pollux.
Porphyrius.
Polyænus.
Priſcianus.
Proclus.
Procopius Sophiſta.
Schol. Apollonij.
Sch. Ariſtophanis.
Schol Sophoclis.
Schol. Thucydidis.
Seneca.
Sextus Empiricus.
Solon.
Sopater.
Sophocles.
Sozomenus.
Stephanus.
Stobæus.
Strabo.
Suidas.
Syneſius.
Syrianus.
Tatianus.
Terentius.
Thales.
Theodoretus.
Theodorus Ducas.
Theophilactus Simocatta.
Theophilus, JC.
Theophilus, Theologus.
Thomas Magiſter.
Valerius Maximus.
Velius Longus.
Vitruvius.
Ulpianus J C.
Ulpianus Rhetor.
Xiphilinus.
Zenobius.

AUC-

AUCTORUM,

Qui hîc

Illuſtrantur, emendantur, aut errare oſtenduntur,

INDEX.

Numerus capita deſignat.